VITA P. BERNARDINI REALINI, E SOCIETATE IESU. EX...

Louis Janin




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
14
26 B
23

VITA
P. BERNARDINI
REALINI,

VITA
P. BERNARDINI
REALINI,
E SOCIETATE IESV.

Auctore L. N. Societatis eiusdem Sacerdote.

Auctore Ludov. Iannino Soc. I.



LVGDVNI,
Sumptib. Hæred. Petri Prost, Philippi Bordel & Laurentij Arnaud.

M. DC. XLV.
Cum Priuilegio.

AD LECTOREM

LECTOR aduerte. In vita P. Bernardini Realini, quam hîc ſcripſi, nonnulla attigi quæ ſanctitatem ipſi videntur adſcribere, perſtringo nonnunquam aliqua, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt, Præſagia, futurorum Arcanorum manifeſtationes, Reuelationes, Illuſtrationes & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi beneficia: Item in miſeros mortales eius interceſſione diuinitus conceſſa, cum aliqua ſanctimoniæ ſignificatione. Verùm hæc omnia ita meis Lectoribus propono vt nolim ab illis accipi, tanquam ab Apoſtolica ſede examinata, atque

que approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorũ Auctorum fide pondus obtineat, atque adeò non aliter quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum Anno 1625. Editum & Anno 1634 confirmatum, integrè atque inuiolatè iuxta Declarationem eiuſdem Decreti à Sanctiſſimo D.N.D. Vrbano Papa VIII. Anno 1631. factam, ſeruari à me omnes intelligant; nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes, illi arrogare, aut opinionem ſanctitatis inducere, ſeu augere, vel quicquam eius exiſtimationi adiungere, neque vllum gradum facere ad futuram illius aliquando Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in

eo

eo ſtatu à me relinqui, quem, ſeclusâ hac mea lucubratione, obtinerent, nonobſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui S. Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua Actione, & ſcriptione dirigi.



APPRO

APPROBATIO.

VItam P. *Bernardini Realini* è Societate Iesu, ab vno ex PP. eiusdem Societatis editam nos subnominati Doctores Theologi in alma Parisiensi facultate legimus, & omnia fidei Orthodoxæ consona vidimus, idcirco prælo mandari posse in maximum perlegentium fructum iudicauimus. Actum Lugduni die 16. Octobris 1645.

F. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

F. MICARD, Franciscanus.

PERMISSIO.

HVnc libellum, qui inscribitur *Vita P. Bernardini Realini*, typis mandari & in lucem edi hac in vrbe, Sumptibus Hæredum Prost, Philippi Borde, & Laurentij Arnaud Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis in Præfectura Lugdunensi, Procurator non impedio, die 18. Octobris 1645.

LORIN.

CON

CONSENSVS.

VIso Procuratoris Regis consensu hunc Librum typis mandarij supradictis Lugdunensibus Bibliopolis concedimus, & ne quis vltra dictam facultatem denuò excudat prohibemus, Lugduni, die 18. Octobris 1645.

LANGLOIS.

Facultas P. V. Prouincialis.

CLaudius Boniellus V. Prouincialis Societatis Iesu in prouincia Lugdunensi iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico Magno dicto IV. huius nominis, 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum, quo Bipliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione Imprimant, permittit Hæredibus PROST, PHILIPPO BORDE, ET LAVRENTIO ARNAVD, Bipliopolis Lugdunensibus vt Vitam P. BERNARDINI REALINI à L. N. ex manuscriptis Italicis Latinè vulgatam, eiusdem Societatis Religiosis ad decem proximos annos imprimere ac liberè diuendere possint.

CLAVDIVS BONIELLVS.

Auenione, 18. Octobris 1645.



INDEX


Capitum huius Libelli.

Bernar-

eo

XXVII.

Angelorum



ERRATA

ERRATA.

pag. 5. Patauium l. Papiam. 10. *certe esse. L.certò esse ibid. permoueret L. permouebat.* 11. *patre L.* Patri 21. *adiectum L. addictum* 34. *veri Dei L.viri* Dei 37 *init. l.iuit.* 46. *moderationibus L.moderatoribus* 56. *comodiore* L. *commodiorem* 65. *diuino* L. *diurno* 71. *lixinium* L. *lixiuiam loturam* 119. *præpositis gen.L.præposito generali* 169. *præceptoris reg.* L. *perceptoris reg.* 109. *reuulsus L.reuersus* 169. *profectusque* L. *proiectusque* 244. Patauij L.Papiæ 255. *præfectæ* L. *profectæ effectoris* L. *effectores* 297. *oculis L.osculis.*

VITA



VITA P. BERNARDINI REALINI, E SOCIETATE IESV,

Auctore L. N. societatis eiusdem Sacerdote.

CAPVT I.

Realini ortus & studia literarum.



NATVS est Carpis Realinus Cisalpinorum oppido, sub exeuntem Christi annum trigesimum sesquimillesimum; octauo post die Conceptæ Virgini dicato, Bernardini nomen sacro ex fonte tulit, quòd esset Elizabetha eius mater ex Bellintanorum familia Beati Senensis Bernardini quondam hospitio insigni, & Carpenses eumdem colerent Tutelarem, vt quem Christi præconem habuissent & cuius precibus direptionem euasissent, hostilis exercitus furore inductâ nebulâ eluso, intactúm-

que oppidum præteruecto. Fuit Elizabetha prudens & religiosa femina, factis diues, verborum parcior, erga egentes misericors, in quo non dissimilem habuit coniugem Franciscum Realini Patrem, eiusque germanum ex eodem Francisco Ioannem Baptistam qui cum pauperum censeretur parens, in Religiosos Ordines fuit admodùm propensus, Capuccinorum præcipuè quos illi noster Bernardinus crebris litteris commendabat: Ad hæc in piorum librorum lectitatione valde assiduus, in Diuinis mysteriis multos primùm annos semel quoque mense frequentandis; Festis dein quibusque diebus, mirè constans; docilis in sensu proprio, vbique ex Dei nutibus fingendo; in fluxarum rerum despicientiâ, fortis & sublimis; demum fine valde Christiano viuere desiit. Bernardinus verò quem scribimus sollicita matris educatione teneros in primis erga Virginem Matrem instinctus hausit, cui coronarios globulos, docebatur sæpius orando pertexere & inerat puero is lepos in loquendo; suauitas, alacritasque in agendo, quam & formæ decor exornabat, vt esset apud omnes gratiosus; in illa verò iam tum ætatulâ cibi parcus & tam compositus, vt nusquam parentibus fuisse grauis memoretur; tàm miti, officiosóque ingenio, vt diligeretur ab omnibus; dictitabat enim qui cũ hominibus nesciret humaniter agere, hominem non esse sed belluam, & quidem asperè domandam; hinc illa ipsius, quoad recula sinebat, liberalitas erga omnes, & desiderium habendi multa, vt posset illa in amicos, & egentiores diuidere; libros certè tum condiscipulis tenuioribus emebat, complectebatur ani-

mo

mo pauperes, ac vti poterat iuuabat, memor illius Christi Iesu. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, quam ille sententiam altè semper mente retinuit; alliciebatur, tametsi iuuenis, Templorum aditu, Religiosorum virorum consuetudine, Græcarum studio literarum, in quibus breui adeò profecit vt multos deinde illarum authores commodè interpretatus sit.

Anno ætatis iam sexto, & decimo Carpis Mutinam profectus Ludouicum Casteluetrium biennio audiuit, ingenij laude, datisque in lucem operibus celebrem, & Bendinellum Lucensem, qui Græcam & latinam linguam magno tùm plausu ibidem tradebat. Post hæc Bononiam ad maturiora studia progressus, Dialecticæ ac Philosophiæ diligentem operam nauauit; quo ferè tempore, cum ingenio valeret, & delectaretur multiplici lectione complura scripsit, quæ ipse typis destinabat [*vt candidis*, inquit, *rei literariæ studiosis propensum animi sui indicaret affectum, simùlque vt aliquid relinqueret, quo se vixisse testaretur.*] Eius opus fuit commentarius vnus in eas Elegias, quæ Cornelij Galli nomine feruntur; Et alter in Catullianas Pelei & Thetidis nuptias Christophoro Madrucio Cardinali dicatus, qui ab eruditis libenter legitur, Collegit præterea in loca scriptorum varia, diuersorum sententias auctorum, quæ Anno 1551. Bononiæ prodierunt, aliámque suam huic non dissimilem in Latinos & Græcos lucubrationem obseruationibus illustrauit. Ad hæc cecinit versu de coniunctione sapientiæ cum potentia, libros Latinorum Carminum duos; Italicorum vnum; Salustianam item Catilinæ

coniurationem commentariis exposuit, elucidauit rithmos Bembi omnes; Petrarchæ permultos; Aristophanis Plutum, & Homeri Odyssæam Latinè ad verbum reddidit; Multa in totum Platonem adnotauit; composuit Dialogum de vocibus vnum, in quibus ipsemet cum Contilio disserit; alios de honore; Tractatus nonnullos de legibus; vnum de Somno, Vigilia, & Insomniis ex Aristotelis opinione. Qui Tractatus apud eius familiæ posteros manuscripti seruantur.

Philosophiæ cursum absoluerat cum Medicas artes meditantem Matrona erudita, religiosa, & nobilis ad Iurisprudentiam impulit; fuit hæc illa re iuxta, & vocabulo Clara, Philosophiæ, Poëticæ, & singulariter pietati addicta, quæ Superioris sæculi anno sexagesimo obiit. Mariano itaque Socino iuniore, Primario tum Bononiæ Doctore Iuris disciplinam aggressus Bernardinus, annum agens ætatis vigesimum primum dedit se in Academiam, quæ Infumatorum dicebatur, vbi multa necessariò argumenta eleganter tractauit, deditque sui eiusmodi specimen, vt portentosi ingenij haberetur. Sæpius interim diuina obibat mysteria; multus erat in Templo Iesuatorum Patrum extra vrbem, senisque optimi, quo illic vtebatur familiariter, adhortatione, atque consiliis, in animi curâ non mediocriter promouebat. Itabat quoque ad Sancti Michaëlis de Bosco, vbi magna illi cum patribus Oliuetanis necessitudo intererat, maximè vero cum suo quodam populari viro docto, singularisque prudentiæ ac virtutis: adiit, & semel Rectorem nostri Collegij confessionis causâ, sed eadem ex causa illuc non rediit: firmabant

Iuuenem

Iuuenem ſaburræ in modum cogitationes de morte ac æternitate ſuppliciorum, & præmij, exprimebantque has ſæpe ex illo voces (quas & poſtea in ſocietate non raro iterabat) Æternitatem, æternitatem! O rem verè horrendam, ſemper, ſemper, & hanc mihi Deus, vti reo multorum in ipſum admiſſorum vocis huiuſce notitiam penitus in animum defigit, meque timore perpetuo ſuſpendit. Bononiâ inde, haud ſcio qua cauſâ, Ferrariam tranſiens, pergebat in Legum ſtudio, ſed Philoſophicis & politioribus literis cum valde caperetur, vna etiam Maggium inſignem Philoſophum, Gyraldum eruditione percelebrem, Excellentiſſimum Medicum Bratauolam; & Pignam Hiſtoricum nominatiſſimum frequentauit, eamque adhibuit contentionem in ſtudendo, vt in compendium temporis cœperit ſolo eſſe in diem prandio contentus, quem deinceps morem toto vitæ tempore obſeruauit.

CAPVT II.

Inauguratur Bononiæ Doctor & Mediolanum profectus varias obit præfecturas.

CVrrebat annus à milleſimo quingenteſimo ſextus, & quinquageſimus cum raſâ demum felici curſu ſtudiorum metâ, ſcientiæ palmam retulit Bernardinus, & Doctor in vtroque iure 3. Nonas Iunij Bononiæ renunciatus eſt; ſuſcepto poſt hæc Mediolanum itinere cum Patauium

præterueheretur, mira quædam iactari accepit de adolescentuli virtute & sanctimonia, ibi tum literis operam nauantis, & incessit hominem cupido ingens, illius visendi, erat is Carolus Borromæus postea Cardinalis, demum à Paulo V. sanctorum Catalogo adscriptus, qui vitæ integerrimæ splendore, profusione in egenos, sacrorum frequentatione, grauitate morum, atque modestiâ rarum de se exemplum præbebat. Vidit ergo, nec famâ minorem comperit, ac futurum olim sanctitate clarum iam tum animo coniecit, magnâque deinceps veneratione, quoties sermo incideret de illo semper locutus est. Administrabat id temporis Mediolani res publicas Madrucius Cardinalis qui Bernardinum, eiúsque successores donauit ciuitate, quòd esset Francisco huius Patri valde beneuolus: fuit præterea eadem in vrbe Triuultiis carus magnâque in opinione, ac iis vicissim semper ipse in posterum addictus; vsus est & amicitiâ Cardani Medici, qui suos tunc libros in publicum dabat: Coluit autem non paucos ex Sfondratorum gente, in iisque maximè Nicolaum Sfondratum, spectatæ virtutis hominem, & Cremonensibus post paulùm Infulis, Romanâ deinde purpurâ, tandem summo Pontificatu Orbi notum Gregorij XIV. nomine. Tantis fulto amicitiis, & præsidiis animi Bernardino deesse non poterant quibus ornaretur præfecturæ. Statim itaque Felizzani Prætor tam egregiè id munus tenuit, vt amplissimo Ciuium testimonio publice laudaretur. Alexandriæ fisci aduocatus, magnam integritatis famam reportauit. Cassini iterùm Prætor factus, audiuit de Claræ obitu cuius

paulo ante facta est mentio, eamque diuersis Elogiis quà Latinè, quà Italicè celebrauit; Narrabat verò præter excellentiam ingenij partasque virili diligentia doctrinas, fuisse dotibus verè Christianis, ac præstanti virtute, cumque annum ageret duo-detrigesimum, magnâ salutis fiduciâ obiisse, spectatâ per visum Christi cruce, ac cœlo patente.

Sub idem tempus Bernardinus habuit à Patre literas, quibus de illius valetudine afflictâ fiebat certior, ad quas optimus adolescens piâ delibutam consolatione reddens epistolam inter cætera sic ait: Dici non potest lectis litteris tuis, quantum illo dolore oculorum qui tibi ad febrim accessit, ipse doluerim. Ita est planè, habentque perpetuo viri boni quibus mille modis exerceantur, molestias; me quidem ipse contra res aduersas patientiâ, contra fortunam reluctantem Dei fiduciâ muniui; ad declinandas verò insidias, quas nullo non puncto temporis tendit nobis hostis capitalissimus, viuaci fide ac vegetâ; ad hunc modum tibi (mi Pater) autor sum gratias Deo agas, ac de tuo malo in eius nutu acquiescas; nostrum vtique bonum in omnibus spectante; ac licet fragilis & vilis hæc pulpa ægre id nobis persuaderi sinat, dubitare tamen non possumus, quicquid id est quo iactamur aut discruciamur à Deo proficisci, esséque in bonis, cum sit eius munus, recensendum, sin minus corpori at certè animo salutare. Quare illum precor, vt de valetudine restituta ex te quamprimum accipiam; solatium quidem extra Deum, nusquam mihi sat potens occurrit, nempe salutis nostræ tum cupidissimum, tum

ſcientiſſimum medicum; illum voca, mi Pater, illo innitere ſecurus; precantibus certè, at è ſua ſuſpenſis bonitate nunquam defuturo.

Caſſini Bernardinus legitimum tempus expleuerat cum à Franciſco Ferdinando de Auolo Piſcariæ, & Guaſti Marchione, Caſtroleoni præficitur miſſis (præter Diploma Mediolani datum Ian. 10. 1562.) ad commune Oppidi literis quibus affirmabat, ſe virum ad illos deſtinare, quo Prætore, vim ſuam æquitas, tranquillitatem oppidum; clientes beneuolentiam ſuæ in Dominum fidelitati parem poterant ſibi polliceri Addebat, viderent etiam atque etiam, vt eum apud ſe condignè meritis haberent. Et verò incredibili amore & obſeruantiâ coluerunt, vtpote valde abſtinentē, contemptoremque potiùs lucri omnis, quod pro lutea argilla æſtimabat, menti quàm crumenæ grauiore. Erat in pauperes benignus; & vno fretus Deo, ſpes alias putabat euanidas, vnde ad fratrem ſcribens. Expecto, aiebat, Mediolano, num quid noui, quod mihi arrideat, tametſi optatum venerit, quicquid mitti, Deo viſum erit, in quo vno ſpes meas vnicè locaui, haud quidem felicitatis huius volubilis, ſtultæque appetens, ſed eius duntaxat gloriæ, ac ſalutis meæ; ardebat cupiditate Diuini amoris, cumque in Elegis quos compoſuerat de Cancro, dixiſſet, vt is ab igne totus rubet, ſic hominis pectus ab infusâ totum charitate incendi, ſubdiderat:

O me felicem, tali ſi torrear igne,
Vre ô vre animum flamma beata meum.

Seueriſſima exempla in Aleatores, fures, homicidas edebat, quò cæteros homines ab iis ſceleribus arceret;

arceret; erat in expediendis reorum causis celer; diligens in conciliandâ diffidentes inter, & contentiosos pace; cautus, si quisquam alius in iubendo, in pronuncianda sententiâ eximiè sapiens; prudens in consiliis; in communi vsu & consuetudine perhonestus; vigilans in quiete priuatim ac publicè tuendâ; in defensione miserabilium strenuus; accessu facilis & affatu, recti, boníque apud omnes custos acerrimus. Nec obstitere publica munera quo minus interim versu, prosâ, Latinè, Italicè pia opuscula scriberet, quæ iustum volumen facile impleant, in quibus sunt notæ ad sacrã paginam ferè totam; Dissertatio Christiana, quâ nihil inesse hoc in mundo boni fortiter adstruit sed quantus quantus est, inanitatem esse meram; Deliberatio item qua fratri respondet, de vxore ducendâ consulenti, & alia complura. Sic tandem omnibus hanc suam Præturam probauit Bernardinus, vt ei fuerit ad biennium prorogata, datis ab Isabella Gonzaga Palæologa (viro scilicet Marchione in Aulam Hispaniæ profecto) ad eosdem Clientes epistolis, quibus Bernardini integritatem, fidem, diligentiam, æquitatem commendabat, & patentibus ad ipsum literis, quibus egregiè laudatus, noua plebis illius assensione, nouísque lætitiis gestum munus denuò iniuit.

***

CAPVT. III.

Neapolim vocatus Beatæ Virginis monitú societatem ingreditur.

REdux ab Aula, Piscariæ Marchio, mox Neapolim nauigat, iusso terra sequi Bernardino, quem Maio mense Inspectorem summum ac Procuratorem creat totius suæ in eo Regno Ditionis. Neapolim ergo cum fortè vti fit inambularet Bernardinus, accidit vt duo è Societate adolescentes coram pertransirent, quorum ipse rarâ castigati oris, incessúsque modestiâ (quod sæpè postea narrauit) valde captus, quæsiuit ex comitibus quinam essent? scholares esse Collegij cum audisset; exarsit illicò ingenti desiderio eiusdem Instituti, ratus absque vlla dubitatione, quotquot essent in Societate totidem Angelos certè esse, ex quo factum vt suis literis passim illos semper eo vocabulo designaret: nec multò post subiit animum, die festo illorum Templum adeundi, vbi tum Pater Carminata vir spectatissimæ virtutis suggestum conscendebat dicturus ad frequentem concionem, quam magna vi permoueret, Tum verò Bernardinus qui ad audiendum substiterat, ad singulas eius vulnerabatur sententias, sic vt è vestigio statuerit apud illum quamprimum peccata deponere; quare hoc ipsum consilio paucis ab hinc diebus cum adiret, vt anteactam omnem vitam confessione sacrâ expiaret, doctus nihilominus à Patre, maiore id fructu peractum iri, si

paucas

paucas meditationes præmisisset, accepit magnâ animi voluptate quas S. Ignatius primas in exercitiis posuit, rediitque identidem ad Patrem vt sibi alias traderet, post quas destinatam Confessionem generalem denique obiujt, cum animoso, & constanti perfectioris vitæ proposito. Exinde igitur in lectione Asceticâ multus esse, decimoquinto quoque die mensæ Diuinæ accumbere, ductorem eumdem ad confessiones adhibere, partámque nouis accessionibus virtutem quotidie augere; his incumbenti conatibus altè in animum descendit abdicandi sæculi deliberatio, & religiosi Ordinis amplectendi, vbi castâ, placidáque in pace Deo, sibique attenderet cúmque Septembri mense coram Deo cor suum effunderet, ecce tibi orantem comparens Virgo cum puero IESV quem gerebat, clarâ luce impleuit, vt quicquid est humanarum rerum hominis amore indignum duceret, hortata insuper vt Societati IESV nomen daret. Qua ille speciē miris gaudiis perfusus, omnino statuit cœlesti oraculo parere, ac post paulum à Patre Alfonso Salmerone vno ex primis S. Ignatij sociis tum Prouinciali Societatem exorauit. Prius tamen nec diligentiæ, nec sumptui parcens, suos illos Commentarios in Catullum quàm maximo potuit numero a Bibliopolis, & Typographis recepit, ignique damnauit, vehementer dolens quod multis alibi excusos locis (qui nunc etiam Doctorum manibus teruntur) non posset vel suo sanguine delere, seque postea cœcum persæpe vocitans, quod in similibus tempus & operam perdidisset. Mandauit prætetea quicquid olim nominum fecerat exsolui; Quod

autem

autem fortè tum, penes se habuit, id omne in pauperes erogauit, pridie quam Tyrocinium subiret; Sic Patre per literas erudito, virtutique in paucis dedito id significabat, Cras Deo benè adspirante Societatem ingrediar; mihi momentum quoduis interea sexcenti anni sunt, donec liceat Deo integrè seruire, diuerticulis procul & remoris quas solet mundus obiicere; laudetur Diuina bonitas, cuius radio afflatus tandem illas perspexi; spero mihi hanc ipsam præsidio adfore, ad perfectam Dei seruitutem, & paupertatis cuiuslibet, crucisque robustam patientiam, cum ex Paulo Apostolo teneam omnes qui piè volunt viuere in Christo IESV passuros persecutionem non tam opinor ab externis, quam ab intestinis, & domesticis hostibus, carunculâ scilicet perduelli, cum mundo ac Dæmone aduersus animum coniuratâ.

Ingressus Collegium Bernardinus, in quo Neapoli adhuc Tyrones probabantur, ab Rectore Gasparo Hernando viro religiosè docto, Ioanni Nicolao Pedelongo in disciplinam est traditus qui tùm Nouitios exercebat, olim & ipse Iuris doctor, sed cum hominem vidisset ab Iudicibus damnari, quem certò nouerat innocentem, tam diræ necessitatis odio & horrore, Societatem amplexus, post distributa in egenos, & Nosocomia quæcumque possederat. Eâ de cætero animi comparatione cœpit Bernardinus, vt se in numerum temporalium Adiutorum, ad ministerium domesticum admitti crederet, quod ipse disertè flagitarat, adeò se ad quæuis alia, id ingenij, literarumque homo, ineptum censebat; sed cum voti

non

non fieret compos, honorificam repulsam totâ deinde vitâ ægerrimè tulit; dum viribus demùm, oculisque defectus recreari se magnopere sensit, quòd sibi quæ forent ætate integro negata, ætas decrepita contulisset; nempe libris valere iussis, omissâ sacrificandi curâ, Officiique Canonici penso, ad communionem laïcam cum fratribus nostris accederet, & esset Coronâ Beatæ Virginis recitandâ satlætus. Edito iam ad dies aliquot Probationum præludio, & Sancti Ignatij meditationibus per sesquimensem exercitus, coco iubetur ministrare, cui vestem è tela his verbis porrigenti; hanc fore ipsius synthesim nuptialem quam esset ad immortales nuptias allaturus; procidit in genua Bernardinus, & magno gaudio vilem deosculatus telam sibi eam aptauit, negans se vsquam thesaurum in terris pretiosiorem inuenisse; hinc eo ardore abiiciendi sui ac Deo placendi, ad infima quæque, verrendi, eluendi, tergendi culinæ ministeria se dedit, non modò vt primus illa inuaderet, sed solus etiam apud suum ductorem conaretur sibi vindicare, quod iunioribus parcendum diceret; se prouectiorem pluribus machinis egere ad prauos habitus corrigendos, quos ipse ex sæculo pertinaciores aduexisset. Inter hæc attamen suspensus, semper metuebat, ne vt frugis nullius, amandaretur ab Societate: Cùm ei primùm Tonsor barbam rasit, quam consuerat concinnam gestare; Procul, inquit, hæ nugæ triuiales, & nullius vsus Duos menses in Tyrocinio exegerat, cùm Patrem per literas compellans; Tàm alacer, aiebat, in cursu virtutis progredior, vt ne sceptro quidem totius orbis hanc, Societatem commutaturus sim.

O Socie

O Societatem planè IESV, in quâ nisi ad Dei gloriam, animarúmque auxilium nihil auditur prorsus aut cernitur; Et quidem hic Domi, vbi quinque degimus supra quinquaginta omnium scito me, inutilissimum, imperitissimum & maximè reum; Ah Deus optimè! cui meo merito tàm sancta Societas concedi potuit? agnosco vnas in beneficio tam præstanti bonitatis Diuinæ misericordias. Domandis sensibus & custodiendis ita seriò incubuit, vt se ipse perfectè vicerit. Fuit inter prima quæ à Magistro duxit rudimēta, vt quidlibet acturus, eius initium, finem, ac medium subleuatâ in Deum mente consecraret; vnde hoc postea præcipiebat Societatis hominibus, principio agendi viderent ante omnia, nùm res expediret, opémque à Deo peterent illius ritè obeundæ; demùm eamdem vocarent ad trutinam, vt pro veniâ, vel pro benè re gestâ supplicarent. At vbi quid obedientia iuberet, aiebat esse protinus occupandum, cunctatione procul, & dubitatione; præmissâ solùm inuocatione cœlestis auxilij, quæ sibi cum semel memoriâ excidisset, seuerè propterea se à Domino reprehensum; Porrò Deum vbique reuereri præsentem, sic assueuerat, vt illud Abrahamo iniunctum *Ambula coram me & esto perfectus*, exequeretur constantissimè, idque in hunc finem in Musæo, præ oculis scriptum teneret perpetuò; dictitans nihil esse, vero animæ cibo, hoc est Diuinâ præsentiâ religioso viro iucundius.

Quid dicam quot lacrymis prosequeretur vitam anteactam, etsi alioqui non ita pœnitendam? De hac scribens ad fratris filium. Laudator temporis acti senex, inquit, ab Horatio dicitur, sed

absum

absum longius ab hac mei laude, cum meæ potiùs quod præteriit ætatis malè feriatæ lugere compellar: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*, ad pœnam scilicet quam me ob illa commeritum fateor, sed ad misericordiam, quam per tuam te Crucem sanctissimam, matrémque dulcissimam, obsecro; misericordiarum,& gratiæ matrem. Aliis literis sic fratrem alloquitur,illa,inquit, Dauidis recogitans: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine*,atque illa Ezechiæ Regis *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; haud scio qui possint corde & oculis tenere lacrymas, ob exactam in nugis, & futilitate adolescentiam; posteaquam verò Domino placuit anno ætatis quarto & trigesimo in hanc me Societatem suam adsciscere, exinde non nego mutatum esse me in virum alterum; Inter hos tamen placidi animi cruciatus sanctos, tria potissimum doluit, lectos nimirum ab se profanos Auctores; data in lucem quædam ab se composita, licentiores versus scriptos. Priùs illud fratri subindicat, non si mortales,ait, omnes connitantur, hoc à me impetrent, vt præter Diuinas literas,aliud quidpiā librorum attingam,ita reliquos omnes odi;viden hac in re Dei manum amaris dulcia, dulcibus amara felici conuersione permutantis. Alterum clarius, aliâ ad eumdem epistola; pauxillum id quicquid est mearum, inquit, lucubrationum quod prælis vertitur, quàm ardenter, si possim reuocem. O bone IESV: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris,sed secundum misericordiam tuam memento mei.* De tertio rogat,Vide, te quæso frater, quod

mihi

mihi ſuccurrit, & crede hoc mihi ſuggeſtum ab Angelo Cuſtode; ſi quid etiamnum domi latet meorum olim opiſtographorum, in quibus iuuenis operam perdidi, Latinum, an Vernaculum ſit nihil intereſt, oro quantum poſſum, illicò igni tradas, cum nulli iam vſui prodeſſe, exemplo autem poſſint non minimùm obeſſe; hoc ſcribo cum incredibili deſiderio, præteritorum pœnitens, & eorum pœnas piacularibus ſaltem in flammis oppericns; proin iterum te rogo, ne quod abs te peto de meis illis nugis prætermittas. Denique aliâs ad illum ſic ſcribit. Pœnitet, pœnitet elapſi temporis, & perditum lugeo, quicquid animæ non impendi, ac precor illos vt verſus Italicos in quibus deliraui, comburas omnes.

CAPVT IV.

Abſolutis ſtudiis Sacerdotio initiatur.

DEſtinatus neſcio quo pacto ad Philoſophica ſtudia Bernardinus, cæco impetu morem geſſit, nec indicium cuiquam fecit, quot iam foret annos, & quàm eximiè in iis verſatus in quibus interim adeò promouebat, vt rari ab omnibus ingenij crederetur, licet de ſe ipſe longè diuerſiſſimè ſentiens, amoueri ab literis flagitarèt, quod præter iacturam temporis, nihil ſe agere doleret; Erat autem otio inimiciſſimus, nec ab honeſtâ vnquam, piâve occupatione penitus vacabat. Ad pulſus horologij ſingulos, ſupremo Iudici ſiſtendum

dum se breui meminerat, eosque totidem vadimonia censebat, quibus sibi diem horámque mors diceret; quem colligendi sui morem cum familiarem, nostris statumque poneret, rogatus num certò de omnibus illud haberet persuasum puto respondit præter Bernardinum, qui non feruidè id præstet, esse neminem; vnum hunc frigidè, oscitanterque id præstare. Agebat Deo ignorantiæ gratias, quam esse ducebat arrogantiæ suæ antidotum; gnarus tamen hanc esse Præpositorum mentem vt applicarent animum ad studia, summâ id egit assiduitâte, summâ propensione suscepit, ac obiuit, quicquid esset à Præceptoribus, quoad studia imperatum; denique ab condiscipulis vulgò pro sancto est habitus.

Quibus animi ornamentis moderatores excitati, inaugurandum Sacerdotio iudicarunt anno sæculi proximè præcedentis septimo & sexagesimo, de quo ad Parentem has dedit literas. Non possum satis, meas verbis lætitias consequi, atque vt intelligas, mi Pater, Dei optimi erga me liberalitatem, scito, me quartâ & vigesimâ mensis huius pridie Sanctissimæ Trinitâtis Sacerdotem ab Neapolitano Archiepiscopo creatum sacrificandi primitias ipsâ Augustissimi Corporis Christi luce Deo obtulisse, in quo eius aduerte clementiam quæ nec ausum optare, nedum postulare in eum me gradum extulit, vt possim ipsius præpotenti Verbo piacularem scelerum victimam æterno Patri verum eius filij corpus, & sanguinem re ipsa immolare, quod ipsis quoque negatum Angelis, solis Christus in vltimâ Cœnâ Sacerdotibus donauit; nihil potest maius à mortali homine pa-

trari; nihil ab Ecclesia gloriosius Deo hoc Agni purissimi Sacrificio fieri; stupori sanè ipse mihi eram, indignitatis meæ probè gnarus; sed hæc nempe sunt Dei miracula iustum ex reo effingentis, ac pœnarum loco debitarum, honores gratuitos conferentis. Sacerdos sum igitur, quod nec tibi vnquam in mentem venisset, nec ego dum Societatem ingrederer cogitaram, verùm humana consilia retractat, & corrigit Deus. Faxit me sibi Ministrum idoneum asserendarum animarum quas sibi Dæmon subiugauit; hanc enim earum libertatem pro scopo habet Societas; peto abs te maiorem in modum pro tam læti nuntij mercede, in templum te conferas, & coram Augustissimo Sacramento agas beneficij gratiam, quo tuum filium ornauit, profitearísque ex animo, quod verissimum est, nihil tale vnquam nos esse promeritos. Hactenus eius epistola.

Sub hæc Neapoli Nostrorum confessionibus, negotiis animæ, imò & Tyronibus est præfectus, fuítque in ea opinione sanctitatis vt quorumdam remedij causâ hunc adeuntium euanescerent interiores molestiæ mox tantùm vt erant cubiculi ianuæ propiores quasi tentatore sanctimoniæ odorem non ferente; quare omissâ consultatione silentes ad munia redibant; necdum tamen Bernadinus studia absoluerat, sed pergebat scholis, repetitioni, disputationibus, nullâ prorsus neglectâ, interesse: suos verò tyrones haud valde mirum est, si quoad poterat, in Beatissimam Virginem eniteretur afficere, ac precatoriæ Coronæ vsum iis maximè inculcaret; Si quidem ipse, dum illam recitat (quod ei fuit summâ cum voluptate

luptate frequens) ipsámet Virginem Dei Matrem vidit sibi manifestà specie adstantem, vt multis post annis Petro Antonio Spinello tunc Prouinciali enarrauit, arcana pectoris è Societatis more apud illũ deponẽs: Ipse verò Spinellus cũ promisso obstrictus plura nequiret de hoc viso, referebat solummodo hæc duo. Alterum Beatam Virginem abstersisse omnes à Bernardino (suntque ipsissima eius verba) impuras cogitationes; Alterum, fuisse adeò nobilem Virginis speciem, tantæque plenam Maiestatis, vt nihil ipse in visis legisset simile, vel audisset; erat tamen Spinellus virtutis haudquaquam obuiæ, sed interioris gubernationis scientissimus. Atque hinc fortassis Bernardinus illud didicerat, quod impuris imaginibus vexatos docebat factitare, vt decubituri scilicet Crucis signo ter pectus munirent; ter Cruci precatiunculam adderent. Per sanctam Virginitatem tuam Purissima Virgo Maria emunda carnem meam in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quod amuletum quidam efficacissimum probarunt.

CAPVT V.

Quid sensit de Societate.

ALtè semper ac mirabiliter de Societate sensit Bernardinus, & quærens iam à Patre copiam, vt ei nomen daret: Sperò, inquit, breui diuinæ adscribi clientelæ, in nobilissimo si vllus alius, purgatissimóque Cœtu, ac Deo in terris carissimo?

rissimo, quæ Sacerdotum est sodalitas tam benè composita, vt si quid merita apud Deum valent, nomen aliud præter id quod gerit Societatis nempe IESV non admittat. Vitæ integritas, probitas doctrinæ, castimonia, paupertas, pietatis opes, charitatis in Deum & homines ardor, oblectamenta sunt illarum mentium, felicium planè, & honoram cunctis hominibus, charámque nascentis Ecclesiæ normam repræsentantium. Aliâ verò quâdam ad eumdem epistolâ. Cras ait, cum bono Deo Societatem ingrediar, quod eò te monendum censui, vt mœrorem si quis inde consurget voluntate diuina cosoleris, & gaudio quod ex beneficij magnitudine capio, omnino tanti vt esse maius non valeat, quanquam auctum iri ex consuetudine pia & religiosâ talium hominum plurimùm confido. Ad hæc non paruo post tempore ad fratrem cum scriberet; Tot iam anni sunt, inquit, cum Societatem hanc inij Anni 1564. Octobri mense; Beatam planè recordationem ac fortunatam diem, quàm lætor eius memoriâ! Ad fratris autem filium; mero, inquit, mero Diuinæ in me clementiæ dono Societati IESV traditus sum, in qua vixi hactenus mirè lætus, tametsi conuictu tot sanctorum indignus; quales possum iure nominate Patres fratrésque istius Ordinis, IESV sit gloria tanti boni. Quibusdam iterum ad Patrem. Dominis Triuultiis, & Piscariæ Marchioni multas debeo apud Deum preces, per eos enim id factum recolo, vt in hanc Societatem sanctam reciperem memet, quæ in sola collimat Diuinæ gloriæ, & animarum lucra; laudetur hinc æternùm Bonitas, tuque illi hoc nomine pro me gratias habe,

quas ne assequor quidem cogitando; Nam quo meo Deus! id facto egeram, vt me in Domum tuam pelliceres, sodalitatique tot Angelorum accenseres? Fuit hoc, fuit bonitatis tuæ, non mei vllius meriti; Aliis, mihi crede, ait, ingratissimus sum in liberatorem meum IESVM & Societate indignissimus, vt qui tam benignâ cultâque in vineâ locum frustra sterilis occupem. Rursum, Aliis affirmat conditionem se hanc suã, præ sceptris omnibus æstimare; scire se fratri asseuerat, ingressu in Societatem bonorum sibi plus additum quàm si regnis esset præpositus; scribitque religiosum statum coniugio tantùm eminere, quantum editos montes depressis vallibus, nec se suam coronâ, vel orbis totius Pontificio sortem mutaturum indidem manabant tituli, quibus egregiis Societatem decorabat. Nunc illam virorum fœcundam appellans, qui fragrantia virtutum moriendo implerent superstites; Nunc institutum vnis IESV dulcissimi adiectum obsequiis; sodalitium cœlestium in terris spirituum; perfectionis scholam morumque optimorum; Instructissimam aciem ad pugnandum aduersus Dæmones, quà exercitiis spiritus, quà soliditate studiorum in Dei honorem, perpetuò erectâ; particulam, quæ Altissimo placuisset; Christianitati vtilissimum Ordinem, Christo semper vsum propitio, ac proinde ab illo magna doctum sperare; cohortem, cui Deus id videretur præstitisse, quod Mosi spoponderat cum diceret; *Ostendam tibi omne bonum*; Quæ terrâ marique animarum quæstus IESV & Mariæ secura præsidio sectaretur insatiabiles; quæ præclarâ sui dispensatione, & consensione mutua

charitatis terrestrem referret Paradisum; Hæc & similia de Societate loquens, scribensque vsurpabat; Quin & agens familiariter cum Patre Recupito (cuius fidem virtus & scripta nobilitant) aiebat Sanctum Christi Præcursorem, in terras si rediret, non posse maiori à Deo beneficio ornari, quam adoptione in Societatem. Proli masculæ susceptæ ex fratre filius cum Ignatij nomen indidisset, sic eum per literas conuenit Bernardinus; peculiarem certò Infantis curam B. Pater gesturus est, isque, si vixerit non modò accedet ad Societatem, verùm & ex illis insontibus animulis alios spero ad illam peruenturos, nec possum aliquid iis melius optare, cum norim quàm sancta, quàm docta sit, quam plena charitatis & perfectissimæ pietatis. Cùm sit bonum quo fruor, ingens, iis idem maximè cupio, quorum causâ nihil non cupio; Est enim id propriè amare, bonum velle; Quod porrò, nisi immortalem Deum? vbi verò hic plenius, nisi religioso in Ordine possidetur, propositi ac Regulæ tenaci, qualem iam inde ab annis quadraginta quotidie hunc esse experior, erga Deum, proximum, seipsum. Et fas sit in eius gloriam dixisse, qui fons est omnium bonorum seruator dulcissimus Christus IESVS, eiusque Beatissima Parens Virgo.

Nec verò tantùm vnicuique de Societate dicebat congruere vt Iesuita vocaretur; Quasi IESVS ita scilicet cogitaret, ita loqueretur, ita operaretur IESVS, sed illorum exemplis quantopere gauderet, sic dulci piaque ad fratrem epistolâ. Et planè Societas charitate diues; inuicem amamus vnanimes in Domo Domini IESV; negare nequeo, semper,

ſemper, ſemper; ſemper magnæ mihi conſolationi, & exemplo fuiſſe, Patrum meorum, fratrúmque omniũ religioſos mores. Et alibi. Clarè, inquit, aduerto, Quod nomen Scriptura promiſſæ terræ attribuit, hoc Societati me debere, Terram lacte & melle manãtẽ, vt quæ pietate ac cœleſtibus gratiis redundet. Solebat idcirco ad eam quicquid pertineret Sanctitatis vocabulo ornare, hoc eſt, Regulas ſanctas; obſeruationem ſanctam; ſanctum Inſtitutum; Conſtitutiones; Gubernationem, ſancta omnia nominare.

CAPVT VI.

Amiſſo Patre Bernardinus Societatis fit Profeſſus & fructuosè Neapoli laborat.

DVm ſemel quot hebdomadis Bernardinus pro matris anima ſacrum facit, licet multis ab annis fato functæ, Patrem quoque amittit Anno ſexageſimo ſeptimo poſt milleſimum quingenteſimum exeunte, hoc eſt Decemb. 25. vt in precum libello adnotarat Ioannes Baptiſta Realinus natorum minimus, addens tanto animi robore, tanto ardore pietatis, & admiſſorum in vitâ deteſtatione, vt fingi obitus non poſſit magis Chriſtianus; Quod vbi cognouit Bernardinus, multis illum mox ſacrificiis procurauit. At verò interdum infantes filios ab conſanguineis elatos audiens cum primæuo Baptiſmalis innocentiæ candore, il-

larum adnotabat nomen, in peculiari quem sibi talium mortuorum contexuerat indiculo, vt eos assiduè in vota posceret, beatamque illis sempiterni boni gratulabatur partem, parentes literis plurimùm adhortans fortunatos, vt ipsi paruorum, sic eos vocabat, transitus Angelorum festis prosequerentur gaudiis. Multò post etiam Bernardini frater viuere desiit, currentis nimirum sæculi anno 6. Die Augusti octauâ & decimâ, cum diù ante, crebro ipsius monitu, rei Domesticæ curâ omni, potestatéque in filios reiectâ, Deo vni sibique attendisset; Vnde ob honorem Sancti Francisci, cum se sanctâ Capuccinorum Patrum veste sub mortem indui præcepisset, in eáque tranquillissimè obiisset, cum eâ sepulchro illatus est; Quæ cum Patruo Bernardino significassent filij, in hunc modum ad eos rescripsit. IESVS Maria. Fateor in Christo carissimi obitum suauissimi nostri Domini Ioannis Baptistæ, vt cum Bernardo loquar, sentio prorsus, & doleo, nec humanum nego affectum, quando me nec hominem esse nego; caro mea non est ænea, vt item de se Iobus sanctissimus inter accerbissimas iacturas non abnuit; verùm enim verò, cum finem intueor quo literæ vestræ admodum felici vitam illum clausisse indicarunt, magnam video nobis Christianæ consolationis restare materiam, reddendarúmque Christo gratiarum à quo est in cœlum euocatus, vitáque annorum septuaginta trium, ad bonam mortem comparatus; Est enim tutissimum præceptum; Vis benè mori, benè viue In æternam misericordiam eius beneficij laus tota redeat. Mihi quidem tam boni fratris, vel oranti, vel sacrificanti nunquam excidet

excidet recordatio, de quo mecum verè id dici potuit. *Cor vnum & anima vna*, quod futurum etiam vobiscum, Carissimi, vehementer confido, vosque Parentis demortui viuam effigiem morum præstantiâ expressuros; nec volo nunc esse longior vestræ securus bonitatis, prudentiæ, atque pietatis sub patrocinio IESV & Mariæ, comitum longè suauissimorum societate ipsorum gaudentibus.

Lupiis Septemb. 18. 1606. ille præcessit, nos sequemur. Vtinam prior ego. Quis enim non cupiat dissolui & esse cum Christo: Interim verò nostra ibi fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia; Paterno animo Domum complector omnem, propinquos, & amicos salutere cupio, totique dilectissimæ patriæ vbertatem precor donorum cœlestium. Amen. Et meam senectutem Domino commendate.

Instabat Neapoli Bernardinus virtutum, & literarum progressibus cum Generalem Societatis Præpositum Franciscum Borgiam permouit eius fama sanctitatis, vt inter Professos votorum quatuor eum adlegeret (est hic summus in Societate non tam honoris, quàm notæ virtutis, & doctrinæ gradus.) Quod Kal. Maij anno primo & septuagesimo supra sequi millesimũ factũ est, Salmerone tũc Prouinciali solemnem eius professionem admittẽte, in qua sociũ habuit quẽ tertio illo Theologiæ suæ anno Magistrũ audiebat Hieronymũ Sarianũ, plausores verò ad vnum omnes, vt quos eius virtutis maturitas latere non poterat, illaque honoris specie, condecorata modestia delectabat: Nec verò idcirco desiit scholas discipulus frequentare, dum quadrienniũ confecisset, nec præ vllo ex condiscipulis priuati quidquam expetiit, sed magno

ſui documento ſibi vnumquemque libenter prætulit. Quæ cùm totâ vrbe ſpargerentur cœptum eſt ad illum confeſſionis causâ, vitæque interioris regendæ concurri, ac ſuperſunt aliqui etiamnum quorum conſcientiæ præerat qui abſque dulcibus lacrymis non poſſunt illius meminiſſe: Narrant verò omnes de ſingularibus viri Dei exemplis, de induſtria in pelliciendis ab inanium amore ad Deum hominibus, de acceſſionibus pietatis, quam in ſe quiſque experiebatur. Eſtque illorum communis conſenſio, omnibus omnia factum eſſe, vt omnes lucrifaceret. Iuſſus ſcholarium cõfeſſionem excipere quos Neapoli erudiebat Societas, tanto id munus ſucceſſu geſſit; vt multi religioſos capeſſerent Ordines; mirabiles exitus alij quidam ſortirentur. In iis, quos facilè complures nominarem, Ioannes Baptiſta Coſtanzius Archiepiſcopus Conſentinus, & Petrus Antonius Spinellus è Societate IESV, qui vt maiores ſtellæ cum immenſa fructuoſiſſimæ pietatis gloria fulſerint, quicquid tamen habebant boni Bernardino acceptum ferebant, à quo memorabant ſuam in Chriſto formatam iuuentutem. Erat præterea Neapoli Carolus Maſtrillius nulli minus ſtudio incumbens quàm literario, cuius tamen causâ fuerat eò miſſus; adoleſcenti ſuadebat frater è Societate noſtra iam Sacerdos vt apud Bernardinum conſcientiam ſuam componeret, tandemque perpulit, accedens itaque ad illius pedes tam acerbo dolore ictus eſt, vt totus in lacrymas ſolueretur, ipsóque acceſſu melioris vitæ magnum deſiderium concepit, ſenſu animi non communi totius vitæ peccata depoſuit, multiſque precibus Societate demùm impetratâ,
poſt

poſtmodum Italiam omnem vtiliſſimis concionibus, Societatem ipſam geſtis muneribus egregie ornauit ac tam multa patrauit eximiè, vt texi ex iis benè longa poſſit hiſtoria. Creſcente interim Bernardini per Vrbem nomine, res eò venit, vt clam illi à confitentibus ſubſecarentur fruſtilla veſtium, & quæ contrectaſſet reliquiarum vice quærerentur, agerent quin etiam Primores aliquot vt ad baptizandos eorum filios adhibitus fuerit. Domi verò ipſe omnibus pro ſpeculo erat, in ſeipſo publicè multando penè perpetuus, curioſè modeſtus, in rogandis aſſiduè cæteris vt ſe aliquid pium edocerent; cibi verò vſque adeò parcus, vt vernũ ieiuniũ ſolo pane ſecũdario, ſicciore, ſolaque elixis aqua, braſſicarum cymis tranſigeret; reliquum anni tempus ſolo pane in vinum intincto, & exiguo ad ſummum caſeo; quo tam tenui victu ita vires fregit, vt putarent multi has ipſi precando cœlitùs refici, cum nihilominus conſuetos labores non intermitteret. Recreabatur interdum orans viſis cœleſtibus, in quibus etiam Beatorum in cœlo æternas delicias obiecto ſibi campi pulcherrimi admirabili Theatro ſpectans, miras hauſit animo voluptates; nunquam fuit ſibi diſſimilis, vbique idem, imperterritus, tranquillus ad nullius caſus inſolentiam expaueſcens, & ſemel contigit agitati campani excuſſum malleum in circulum cadere, cui in Collegij atrio cum multis externorum, noſtrorumque aderat Bernardinus, ac cæteros omnes perterrefactos diſſilire, vnum illum in gradu hærere, nullo vel fugæ, vel metus indicio: Ad hæc erat congreſſu valde amabili; ſermone in laudes alienas prono, nec ferens quempiam

iis

iis etiam leuiter obtrectantem, mox enim obiecta, excuſatione vel ratione diluebat, quod ſi fortè parum procederet, tùm verò prudenter ſubducebat ſeſe, illámque conſuetudinem declinabat.

Poſt decurſa Theologiæ ſtudia ardentes ad populum conciones per annos aliquot fructu præcipuo habuit, allocutiones item apud Moniales non diſpari exitu. Venerat dicentem auditurus flagitioſæ vitæ homo, cui concionator nihil minus cogitans ſic illam graphicè oculis ſubiecit, vt ſe ab Deo ratus ſuorum criminum admoneri, ſe ſtatim collegerit, purgatóque per confeſſionem animo Chriſtianis exinde moribus vixerit. Ob hæc Dæmon infeſtus Bernardino, cum aliud nequiret, puerilibus illum vexabat moleſtiis; nam & reculas ipſius ſuo loco motas alibi abdebat, vt eum requiritandi impatientia perturbaret, & accenſam lucernam aliquando tangente nèmine ſubuertit; late humi fuſo, ſparſoque oleo. Verùm his ſpretis Dei ſeruus addebat concionibus doctrinam Chriſtianam, cuius rudimenta variis in Templis inſigni charitate, ac diligentia cum pueris ac rudibus traderet, ſolitus erat illud penſum pia ad populum cohortatione concludere. Fuit quoque illi magnopere cordi mancipiorum infidelium inſtitutio, quæ Neapoli tenebantur, & eorum non paucos ad ſacrum fontem denique perduxit; Adhortationes domeſticas ad noſtros biennio habuit: Sodales à ſancto Spiritu magiſtrum illum pietatis cum expetiiſſent, talem experti ſunt vt non aliis deinde quàm Societatis Patribus vſi ſint. Horum præſcripta ſodaiium anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo primo approbauit

Neapoli

Neapolitanus Archiepiſcopus titulo Archiconfraternitatis ab Spiritu ſancto, à quâ, cum Lupiis eſſet Dei ſeruus accipiebat literas, reddebatque, ac ſeruatur magnâ veneratione ab Nobiliſſimis Sodalibus in hanc diem eiuſdem epiſtola. Poſtremò etiam librorum cenſuram Neapoli exercuit, ne quod ferè eſſet officium cuius non præclarè adminiſtrandi monumentum relinqueret.

CAPVT. VII.

Lupiis eximiè rem gerit.

DVm feraciſſimos labores Neapoli ſic nauat Bernardinus, acceptiſſimam operã Marius de Fabritiis verbi Dei præco egregius Lupiis poſuit celeberrimâ eo Regno Vrbe tantumque Ciuibus diſcedens ſui deſiderium reliquit, vt votis communibus alios Patres flagitarent. Ita Bernardino ea iniungitur prouincia, qui blandis retinentium amicorum, ſanéque validis religiosè ſimul humaniterque abruptis vinculis, die tandem Decembris nonâ & decimâ ſeſquimilleſimi ſeptuageſimi quarti anni, Lupios peruenit, exceptúſque eſt occurſantis vrbis equeſtri pompâ quam & Seluaggius Guarinius ſuâ cohoneſtauit præſentiâ etſi vrbis illius ſyndicus, quod ipſe tunc officium tenebat niſi Proregibus obuiam prodire non ſoleat, quaſi iam inde præcipiens animo ſe Vrbis olim Tutelarem in eam inducere proceſſit & comes ſyndico Carolus Ginnarius adoleſcens, (qui Societatis Inſtitutum

ſtitutum poſtea complexus cum fama virtutis egregiæ ſat longam in ea vitam clauſit) is tum à Cæſare Ginnario parente miſſus eſt nobili Neapolitano Prouinciæ Præſide cum Auditoribus aliquot ſiue Iudicibus, Canonicis nonnullis, ac Sacerdotibus maioribus Eccleſiæ, aliiſque Nobilibus & Primariis Ciuibus quorum ipſe permultos ſigillatim in equo obiens domò vrbeque exciuerat; reliquum vulgus in tecta conſcendere longè adhuc illum proſpecturi; vrbem verò vt ſubiit, oppleri feneſtræ, viciquе ſalutatoribus & ſpectatoribus; hominis, vt vocabant ſancti, felici aſpectu expleri volentibus; per dies autem deinceps multos, tota ad videndum, gratulandumque Ciuitas effundi, ipſe cunctis piæ conſuetudinis odore virtutúmque nonnulla promulſide admirationi iam, documentóque eſſe. Alterâ exin die benè manè huic ſe quidam obtulit Clericus, ad quæcunque adhiberetur expeditus, hic deinde Sacerdos ſe noſtris adiunxit, & cum valdè tranquillâ ſalutis fiduciâ in Societate obdormiuit; tunc non recuſandam illius voluntatem putauit Bernardinus, ſtatimque ſe in Epiſcopalem Eccleſiam conferens magnam ſenſit Canonicorum affabilitatem; ſacris operatus mox Carcerem adiit, & ſuam vinctis prolixè operam detulit ad confeſſiones illorum audiendas, & quoduis aliud ipſorum in Domino leuamen, attonitis miſeris tam rarâ hominis charitate; Domum redux inuenit Ciuibus refertam, quos ita eſt benignè affatus, vt ſpirantem ex eius pectore perfectam mentem aduerterent. Poſt hæc honoris & beneuolentiæ ſtudio ſingulos conuenit qui religioſis Domibus præerant, eo quidem ſucceſſu eum

vt ipsi aliis ciuibus pro sancto celebrarent. Denique publicis pauperum Domiciliis, etiam Leprosorum itemque cæteris custodiis, ita fore se promptum indixit, ad inseruiendum, vt manum operi statim iniiceret cunctos assiduè consolando, hortando, audiendo, suisque manibus, & ministerio adiuuando: capite damnatis supremum ad vsque spiritum præsto erat; tum in scalas illicò euadens, Christique pendentis quam gestarat effigiem prætendens; eo impetu mentis, & igne verborum alloquebatur spectantem turbam, vt pœnitudinē scelerum in fletus dissolueret; in quo vnum occurrit singulare in reo sceleratissimo, & in repellendæ confessionis sacræ medicinâ, nihilominus obfirmato. Nō sustinuit tamen Bernardinus salutem hominis desperare, illúmque deserere, quin circū per Ciuitatem vecto, & candenti forcipe laniato eodem in curru comes fuit, miserandoque, blandiendo, solando, deosculandis, lingendisque vulneribus id assecutus est, vt molliretur infelix reus, & cum summo criminum dolore tandem feliciter moreretur. Laborabant vincti per æstus caniculæ aquæ penuriâ; hanc vt laxaret Bernardinus Clericis quibusdam persuasit, frigidam ad eos in publicum carcerem comportarent, quod institutum tamdiù tenuit, dum multis post annis Franciscus Ribera è Societate cisternam ibidem percommodam curauit. Concurrebant ad illum mancipia sectarum variarum suo non mediocri fructu; indixerat enim cùm primùm vrbem ingressus est eorum Dominis traditurum se illis fidei rudimenta, persuasurumque fauente Christo; proinde ad se ne grauarentur illa dimittere. Taceo conciones quà matuti

matutinas, quà de ſacra ſcripturâ pomeridianas, lectiones de conſcientiæ caſibus; Monialium adhortationes, inſtitutionem ſacram puerorum & rudium, ad quam ætas etiam grandior ex vtroque ſexu confluebat, ſenum quoque tum occurrentium, tum conquiſitorum in eum finem, diuinis tamen etiam tum in myſteriis infantium; & arcanam priuatos inter parietes doctrinam. Quorum vtilitates tot munerum, tam conſtanter ac ſtrenuè obitorum quis ſatis explicet? erat enim illi perpetuum vt ſacris de rebus diſſerens cieret vberes audientibus lacrymas, multique illorum non prius Templo abſcederent, quàm animi ſarcinam ad Sacerdotum pedes abieciſſent; multæ meretrices ad frugem redirent; multi abrogarentur iniuſti contractus, & inueterati pridem inter ciues abuſus. Nec idcirco conſulentibus deerat, qui foris etiam, nedum ipſa ex vrbe de animæ rebus, & rationibus interrogaturi aduentabant; nec euocantibus ægrotis, confeſſionis, & ſolatij, ſedandæque conſcientiæ gratiâ; Quam eius vitam fœcundis laboribus occupatiſſimam exoſus Dæmon variè illum diuexabat, nunc repoſitos illi fœdando cibos, nunc ſtratagemate multiplici noctu illum ſomno, lectóque excitando, vt fractus opere, ac vigilia prodeſſe aliis non poſſet.

Tam claro igitur ſudorum illuſtrium, lætóque ſucceſſu perculſi Lupienſes de Societatis Collegio ad erudiendam vrbis iuuentutem agitare, videre, conſulere, quæ primos inter deliberatio vix duos pro Collegio habuit, excuſauere cæteri opes Ciuitatis tunc quidem acciſas, & fundando Collegio impares. Raimundus Piſacanius ex duobus alter

alter ad Bernardinum rem gemens refert, qui mox velut afflatus cœlitus, Bono; inquit, ſis animo Raimunde; nam erit nihilominus Lupiis, ſuo tẽpore, Societati Collegium, quod vix cedat Neapolitano, id verò vti prædixerat, dudum videmus euenisse. Fuit in paucis Piſacanius Bernardino cum omni familia addictus, cuius pietatis non ſemel pretium nec mediocre reportauit. Tenebatur is vulgato tum in populum morbo, cum vxore, liberis, & aliis quibuſdam, rarus enim erat, quem id malum quamuis citra periculum non tentaret; viſit iacentem Bernardinus, vixque illam in Domum ægrotis refertam pedem intulerat, cum cœpit ad vnum omnibus repentè melius iam eſſe, iique perfectam paucos intra dies valetudinem recepere. Aliàs eiuſdem ex fratre filiam Petronillā Piſacaniam cum ſacro eſſet oleo inungenda conuenit vir Dei ipsóque in cubiculum ingreſſu febrim morbumque diſſipauit, qui affixam lecto tertium iam menſem tenuerat: Hæc ipſa poſtea Franciſci Antonij Sanpetrij vidua cruento laborans profluuio, quod certò medici pronunciauerant ſubſecuturam aquâ intercutem; à Bernardino iuſſa eſt nihil metuere, nam à Beatiſſima Dei Matre ipſi remedium adfore; cuius ille tum prolatâ imagunculâ recitaturus Litanias, pileolum capiti detraxit; hunc verò ægrota tàm piè ac fidenter quàm cautè ſubductum dolori apponens ſentit; mirum dictu, eo temporis puncto maſſam putridi ſanguinis languenti de corpore excidere, ſtatimque à Medicis extra periculum, morbúmque iudicatur: Eamdem agnati, poſt viri obitum, minacibus monitis cogebant vicino ad ſacra, & confeſſiones

contentam Templo, Societatis porrò æde omnino abſtinere; doluit grauiter mandato mulier aſſueta Noſtros à Confeſſionibus habere, adiitque ipſos nihilo ſeciùs, & egit cum Patre Bernardino, qui mœſtam erigens adiecit, rediret modò liberè in Templum noſtrum quoties viſum foret, nec ſibi à quoquam propterea quicquam timeret reprehenſionis; rediit ex eo tempore, nullo vnquã factum improbante. Neque his tantùm Raimundi domum pro ſuo erga beneficos ſtudio beneficiis affecit. Eſt enim Lupiis toto Cœnobio, quod à Viſitatione appellatur notiſſimum, Dionoram Piſacaniam illic Monialem, bimeſtri ſpatio, alterius brachij diro tortam, perpetuóque cruciatu, ſic vt eſſet prorſus inutile, aliquando, quo impulſu haud ſcitur, cruce illud ſignaſſe, inuocato nomine veri Dei, vti tormentum illud ab ſe depelleret, eſſéque id eodem momento conſecutam, recuperata brachij ſanitate. Erga Cæſarem verò Piſacanium fuit Bernardini iam fato defuncti gratia inſignis. Mœrebat Cæſar Barletæ detentus in pœdore ac tenebris ſæuiſſimi carceris, vt ſe ipſe videre niſi lucernâ nequiret; ſuccurrit miſero recordatio cari Patris cuius imaginem pro luce futuram affigit parieti ſuas illi ærumnas commendaturus identidem. Die ergo quadam certior effectus de ſe ſeueriſſimè inquiri, ad illam conuerſus, vide ait obteſtor, meas è cœlo miſerias, ô Pater, qui toties mihi dum in viuis eſſes, dux ad probitatem ac monitor fuiſti; non opitulabere, ô Parens optime? res mira! Imago vultu in alacrem mutato ac blandum ſubridens, clarè capitis nutu, de ope annuit paulóque poſt Cæſar Barium tranſmiſſus, ibique
ab

ab gubernatore humaniter habitus paucis post diebus est tandem ad purum absolutus. Hippolyta Pisacania viuentis precibus fœtum partu commodo enixa, suam mortuo illo vicem grauida lugebat, de vita partuque ambigua. Sed astitit dormienti Pater infantem brachiis sustinens, trepidam confirmauit, ac de mascula prole, quam edidit postea, promisit; sed hæc in addictissimam Dei seruo familiam sint satis, redeamus ad res Lupiis initio gestas.

CAPVT. VIII.

Fundatur Lupiis Domus. Multis Bernardinus de fama & vita periclitantibus succurrit.

PRæclusa tunc quidem Lupiis Collegij spe, ad Domum Professam Ciuitas animum adiecit, eamque ab Generali Societatis impetrauit; Emitur Domus cum Ædiculâ Annunciati Deiparæ Verbi mysterio sacra nostrisque traditur; Iniit possessionem Bernardinus, cœpitque occasione loci vtens intempestâ nocte sacellum frequentare, ac cæteris quieti deditis longa ibi cum Deo ac Virgine colloquia trahere.

Contigit autem sub hæc initia, suspectam impudicitiæ Antoniam quandam plus viginti plagis ab ipsomet fratre periculosè vulnerari, quo foras egresso vociferari mulier & confessionem iteratis vocibus implorare; excita clamore vicinia concur-

rere; horrere ad spectaculum humi suo in sanguine volutatæ caputque ferro hærente confixæ; hic è turbâ duo loca sacra percurrũt omnia domosque Sacerdotum multas, nec vsquam reperiunt cui vacaret illa noctis horâ, infelici adesse confessionis piaculum obsecranti. Venitur vltimò ad Bernardinum, qui absque mora cùm illûc aduolasset, iam semianimem, omniumque opinione morituram, ritè audit, disertéque edicit tantùm confideret, eo quidem casu haudquaquam morituram, quod circumstantibus ab eo inculcatum euentus postmodum receptæ valetudinis firmauit.

Præsto & aliis non paucis Pater fuit, quamdiu Lupiis egit, quorum honor in summo discrimine vertebatur, & visum est variis sparsos temporibus in hunc locum conferre ad iucundiorẽ legentium opportunitatem. Conspicatus sororem adolescens famâ virginem, re ipsa grauidam, statuit eius nece iniuriam familiæ vlcisci; misertus tamen illius animæ, ac fœtus immaturi, Lupios venit ad Patrem Bernardinum super eâ re consulturus, rogauit Pater in templo subsisteret, dum in cubiculo interim quid opus facto, seriò videret; horæ fluxerant duæ & vnum ex Patribus fortè tum illic cum multis colloquentem seuocat adolescens, orátque ne grauetur vrgere responsum, quod intelligere vt posset, rem isti quoque simplicissimè narrauit, euaserat is Pater in cubiculum Bernardini, & ecce introspectans per ianuæ rimas videt genibus nixum, & Christum cuius effigiem de Cruce pendentis habebat præ manibus fusis vbertim lacrymis fatigantem. Interpellare igitur non ausus, redit exponitque adolescenti quòd

viderat

viderat; adeſt aliquantò poſt Bernardinus expe-ctantique in aurem ſignificat, ſororē illius pepe-riſſe conſcio nemine niſi tantum ſorore altera, quæ fœtum exceperat, & ſacro fonte luſtratum ſtatimque poſt mortuum humârat; regrederetur demum ſecurus famæ ac ſi vti ſibi narrabantur ſingula comperiſſet, manus ab ſororē omnino abſtineret, fore ſi quidem cunctis in perpetuum occulta, init, comperitque ordine omnia, ſorori pepercit, & Lupios ex occaſione cum aliquando repetiiſſet, illi alteri Sacerdoti, quem à Bernar-dino reſponſum vrgere rogauerat, ſeriem rei explicuit, qui & illam deinde ad Dei gloriam aliis patefecit.

Infœlix puella, peiori matre conſcia labem pudoris admiſerat, & prodente iam ſeſe vtero, mortem à cognatis vtraque vehementiſſimè time-bat, certò infamiam, ſi eam deprehendere potuiſ-ſent earum exitio extincturis. In hoc animi an-gore conueniunt ad P. Bernardinum conſilij ali-quid & auxilij accepturæ; diſſuadet is primùm, ne quid excutiendi fœtus causâ deinceps adhibe-rent, quòd ſceleratæ mulierculæ fruſtra eatenus, modis omnibus tentarant: ſubdit præterea illo-rum culpam clam cunctos mortales ſemper fore, cúmque ad illum interdum redirent, iis abſque dubio ſemper affirmabat, rem ipſis è voto proceſ-ſuram: Illæ ſacerdotem in Templo quemdam Patri ſolitum confiteri ſæpe intuitæ, muliebri aut metu nullis ſat remediis quieto, aut loquacitate, apud illum quoque ſuos caſus deplorant, promiſ-ſoſque à Patre ſucceſſus aperiunt, quorum is fi-dem multum auxit, fortique animo eſſe iuſſit. Præ-

terierant non multi dies, & Sacerdotem sibi obuiam factum mater edocuit de tacito, & absque doloribus filiæ suæ partu, de infante in tutum subducto, réque totâ omnibus probè tectâ, quòd ex eo demum Sacerdote prudenter rescitum est.

Honestissimo loco nata virgo inhonestè lapsa, cognatorum impulsu erat à fratre occidenda, sed is tactus reuerentiâ Numinis quæsiuit ex Patre Bernardino, num quâ tandem viâ illam posset absque Dei offensâ perimere. Respondet Pater, nihil se vnquam eiusmodi rogatum, proin opus esse nonnihil temporis vt in cubiculo Doctorem super ea re attentius legeret, opperiretur se aliquantisper in vicina aulâ, & si qui fortè aduentassent, demoraretur eos suo colloquio. Quare etiam ipse pro cubiculi foribus baccillum posuit quo indicaret sibi non vacare; illo in conclaui quatuor ipsas horas precando transigit; iuuene interim post duas priores moram ferente molestiùs, ac reliquas duas cum Sacerdote de nostris, qui casu præteriens illum salutarat confabulatione mutuâ fallente; Rediit demùm à Deo Pater, vultu inflammato, & madentibus oculis, ac seorsim adolescenti anxio; Tua, inquit, soror masculum edidit, caue de illâ necandâ cogites, latet enim factum, nec de illo quisquam resciturus est aliquando; Lustratus sacro baptismo infans in cœlum euolauit, iamque datum est terræ corpusculum; Tantùm age quod dico; ac scito futurum vt intra quadragesimum ab hinc diem, sororem tuam honorificè colloces. Obstupuit ad hæc adolescens, cui palam erat locutum cum Patre neminem, ex quo illos euentus disceret, Domum se quàm celerrimè retulit, vbi nactus

nactus sororem sed pallidiorem, & exhaustam ex ea quærit vehementer de auditis à P. Bernardino, se & veniam ei dare,& defensionem contra quæcumque occurrissent sanctè promittere, dùm sibi rem omnem aperiret, fassa est misera quod res erat, quodque Pater absens distinctè cognouerat; mox frater agnatos sororicidij suasores coram arguere, illos magnopere delusos, haudquaquam esse grauidam sororem, & euanuisse quicquid in illa comparùerat tumoris, prius denique à Patre condictus quàm appeteret dies iuncta est connubio nobili puella, venitque in Collegium frater, & aduocato Sacerdote, cum quo diù in aula Bernardinum colloquens expectarat, rem edisseruit plenius, testatus, nisi vetaret fama se totis compitis tam mirabiles euentus fuisse vulgaturum, cupere tamen ad Dei gloriam eiusque famuli, personis ac nominibus tacitis ab eo quàm latissimè dissipari.

Fuit & alius tam excors, vt sororem propriam cum stuprasset, prodente se sub mensem septimum vtero, ad suspiciones occupandas, præcipitare in puteum statueret in quem fallente vestigio videri posset casu decidisse:hanc versans insaniam Lupios ad Bernardinum venit,ad quem cum esset à ianitore ductus(cuius etiam secreto sua commiserat)& Patri suas narraret miserias;non tu,inquit Pater, tam abominandum flagitium patrasti, cui cum ille omnino se reum affirmaret, magna charitate ac suauitate desperabundum fulciens, subinfert Pater : Nequaquam tu fili, sed vitiatæ naturæ prauitas id egit suntque illi planè fragilitatis nostræ fructus, ad quæ verba cum

hæreret reus, haud satis intelligens, cuiusmodi sanctum hunc esse crederet, qui tam nefariis tam indulgenter moueretur; interrogatur à Bernardino, ecquid in posterum consilij caperet, ne relaberetur in turpitudines tam horrendas, cui vitæ in melius conuersionem certam pollicenti, occasionúmque animosam amputationem; Age, sis igitur, subdit Pater, & quando es ita mente comparatus confessione sacra facinus expia, sub quam tibi quid facto sit opus, edixero, præbitaque confitenti aure, & eo ritè absoluto, iussit exinde nihil addubitare, dilapsa si quidem sorori quæcunque is pertimuerat concepti vteri signa, videret duntaxat, ne iterato crimine iras in se diuinas proritaret; hoc lætus nuntio & monito cautior in patriam reuertitur; & exaruisse sororis vbera, ac substrictum ventrem demiratus perinde ac nihil ei contigisset; ex ea cognouit, nullo id tamen cum dolore, nulla eiectione, repentè accidisse, quod ipse quandoque Lupios rediens Ianitori per ordinem recensuit.

Mulier ex flagitio grauida, iamque partui vicina ad Sancti Francisci templum venit, & communicato cum Patre eiusdem Ordinis Theologiæ Doctore, vitæ in quo stabat periculo si res ad propinquos emanasset, preces illius expoposcit; perculsus Pater calamitate mulieris Bernardinum de illa conuenit, quodque ab eo responsum tulerat, renuntiat, nempe confideret, parituram enim, nec vitæ discrimen nec boni nominis subituram, tandem ergo in partu triduum laboranti mortuus in vtero fœtus frustratim reuulsus est, Domi prorsus conscio nemine.

Interrogauit Medicus Bernardinum Matronæ cuidam

quidam num posset pharmacum ad dissoluendum fœtum porrigere cum alioqui à marito quo pridem absente conceperat, exitium illi timeretur; sine ait parumper cogitem, quid hic potissimum dici oporteat, sed is diutiùs ante cubiculum expectans longioris moræ impatientiâ intrò subit, Bernardinum videt abalienato à sensibus animo de geniculis precantem, nec recedit tamen, donec in se reuersus Pater; fer, inquit, opem mulieri quam potes, iam enim masculum eiecit, nullo penitus aduertente. Redux in villam medicus Patris dicta rebus veris probauit summóque silentio omnia in tuto posuit.

Venerat Lupios summo mane ex villa propinquâ Clericus ad amicum Doctorem, eíque indicium fecerat de consobrina puellâ probrosè grauidâ, ab se agnatisque de medio tollendâ, nisi aliunde affulgeret modus asserendi honoris Domestici, duxit hominem Doctor ad P. Bernardinum qui animaduertens autorem probri clericum extitisse, petiit nùm vellet confiteri, ac tanti sceleris detestationem spondere perpetuam, annuenti & iam confessione absolutâ discessuro remedium aliquod ad auertendum dedecus præstolanti, imperauit, ne quid miseræ illi consciscerēt mali: Iam enim Deum pro sua misericordiâ rebus omnibus benè prospexisse; quæ verba, nec ipse Clericus, nec cui mox retulit iuris Doctor tunc quidem perceperunt; sed interim mulier ventris doloribus correpta, concreti sanguinis deformi sanie expulsâ, nihil præterea grauiditatis sentiebat, quod post suum in villam reditum miratus Clericus Doctori narrauit, vtroque vaticinium Patris cla-

rè agnoſcente.

Adierant Patrem conſanguinei cuiuſdam viduæ, cum Pagi præfecto, vt in commune decernerent, eſſent nè in illam iudicio acturi, quòd quantum apparebat, pudori ſuo maculam inuſſiſſet. Præmiſsâ is ad Deum prece homines admonuit enixam mulierem, receptum ſecuro loco partum, occultè adeò curata omnia, vt nuſquam eſſent in cuiuſquam mortalis cognitionem deuentura, cuius rei fidem ſtatim viſu ipſo compererunt; memoriam verò excepit Sacerdos è Societate, cui ſceleris ſocius occaſione datâ illam detexerat & præfectus ipſe geſtorum teſtis, ex quo qui eam audiuerat, coram Iudice pro teſtimonio affirmauit.

Nobilitatis præcipuæ fœmina eamdem ob culpam necem ſibi ab ſuis metuens, à pia matrona cui ſuas ærumnas crediderat de induſio Bernardini fruſtum, vnaque honorem, & vitam accepit, id enim ſibi cùm piè admouiſſet, fœtum è veſtigio emiſit abſque vllo vagitu, & tamdiu mutum quamdiu extra Domum locaretur; enimverò tertio poſt die cum prominere cœpiſſent mamillæ, admoto pariter piè, fideliterque eodem remedio, confeſtim reſederunt.

Alia vterum totos nouem menſes variis artibus cùm celaſſet, partum præſentiens, & conſilij expers ad Patrem confugit, qui tunc noſtro in templo orantem matronam obteſtatur, vt in nepotis ædibus conclaue ad partum infelici mulieri commodet; negat illa per ſobrinum id poſſe Domi aſſiduum, atque in vxorem, ſeque adeo ipſam, ſi rem deprehendiſſet, ſuſpiciones conuerſurum;

ſed

ſed inſtat Pater nihil addubitaret, quàm celerrimum enim puerperium, nec tantùm nepote, ſed clam omnibus futurum; ſtrinxit humeros mulier timoris plena, ſed Domum vt attigit reperit ſobrinum in procinctu ad pagum duorum dierum itinere, vixque is conſpectu abſceſſerat, & adeſt miſera fœtum poſitura, excipiturque perhumanè, tum ab ipſa, tum à viri nobilis vxore, ſemoto cubiculo, ac partione ſubitâ infantem edit, qui lotus aqua ſalutari ad ſuperos euolat, ſtupentibus fœminis ad rei exitum, & potiſſimum ad vires alacritatemque puerperæ quæ Domum ſuam actutum ſe recipit ſuorum nemine geſtorum vel vmbram ſuſpicante. Claudam hoc caput, ſi vnum addidero.

Adoleſcentes duo mulierculam in eaſdem redactam anguſtias, & à fratribus, ſi crimen ſubodorati eſſent, occidendam Bernardino commendabant, quos cum ſe paulum ad orandum Deum collegiſſet, benignè dimiſit, Deum, inquiens iam toti negotio abundè prouidiſſe, illamque præmaturo partu editum infantem Domo exportandum curauiſſe.

***

CAPVT

CAPVT IX.

De fundatione Collegij Lupiensis ; detentione Bernardini Lupiis, mirâ & perpetuâ; Conuersione infidelium vberrimâ.

NOn hâc solùm à Deo Bernardinus singularia dona impetrandi admirabilitate perpetuâ deuinxerat sibi Lupienses, sed haud paulò magis exemplo virtutis, quamdiu enim apud illos fuit, obseruarunt in eo absolutissimam collecti aspectus modestiam; oculos semper humi fixos, quoties cum fœminis loqueretur, numquam in earum cuiusquam vultum, etsi cum plurimis ageret, vel quas audiebat confitentes, vel ad se pietatis causâ ventitantes; erat enim eius solemne dictum non debere vnquam in os mulieris adspectum defigi.

Referebat seruus, quem Socij loco ad curam corporis Ciues illi quandoque addiderant de incredibili eius inediâ seuerissimisque ieiuniis, quibus sibi largè subtrahebat quæ largè in pauperes erogaret, quorum item in Domum hospitalẽ quicquid ad se dono mitteretur, solo pane seruato destinabat; huic verò famulo tam religiosè gerebat morem vt cuiuis de Societate pro iure imperanti ac licet ab stolido & insulsò indignè habitus, magna tamen semper in illum vsus est humanissimá que charitate, tantùm abest, de illo vt expostularit aliquando.

Per

Per hæc fundandi Collegij laborioſa præludia ægrotans, vinum album medici præcepto, ex Domo nobilis petiit, dari Nobilis iuſſit, ſi quid in exhauſto doliolo reſiduum foret, & ſtillauit tunc quidem guttatim, quantum opus erat, verùm duos præterea menſes ingenti Domus admiratione vas illud vacuum bis quotidie petenti ſyncerum vinum & optimum reddidit, nec priùs aruit, quàm actis gratiis ſignificaret Nobili Bernardinus, ſe illo ſubſidio amplius non egere.

Anguſtâ iam ad concurſum Æde, quem tanti viri confeſſiones, conciones, & mirè geſta vndique trahebant noui Templi iacta ſunt fundamenta Matthiæ Apoſtolo ſacrâ die, anno Chriſti regnantis ſupra milleſimum, quingenteſimum ſeptuageſimo quinto, magnâ Ciuitatis gratulatione, ac biennio poſt vltimâ Octobris Dominica, ſacrum ibidem primum apparatu magno ab Clero Eccleſiæ principis eximiè in nos beneuolo celebratum; ſecutus inde à Bernardino ſermo, cœptaque horis pomeridianis ſcripturæ Sacræ ad populum; ad rudes, & pueros Chriſtianæ Doctrinæ elucidatio, cunctaque, tantis animarum, tam manifeſtis lucris, vt illa Raphaël Staiuanus Lupienſis iuuenis apud ſe reputans, ſimulque æſtimans, quanta Societas ſanctorum fructuum copiâ toto quà patet orbe deſudaret mille nummos aureos in fundationem Collegij obtulerit; ſic Domus Profeſſa repente in Collegium mutata, ædificatæ ſcholæ ad informandam iuuentutem, prouecta etiam Angelorum vti creditum eſt miniſterio fabrica, eò demum euaſit Collegium magnitudinis, & celebritatis, vt vno ſit minus

in

in ea prouincia Neapolitano.

Abſoluerat Lupiis ſtrenuè laborans biennium vnum Bernardinus, cum Neapolim à moderationibus euocatur. Salutat amicos valedicens, multâ vtrimque teneretudine, nec ſine lacrymis, poſtridie in viam ſe daturus. At ecce illâ nocte febri tam validâ corripitur, vt de vita Medici dubitarent. Quare tūc illa profectio fuit neceſſariò omittenda. Verùm aliàs iam in equo, atque extra Vrbem magno ſuorum mœrore progreſſus, quartam vix partē milliaris confecerat, & ingruente febris inopinæ vehementiſſimo paroxiſmo; in horto Patrum Oliuetanorum Belliloci hærere cogitur; Poſt in vrbem regreſſus diuque lecto affixus ne tùm quidem Lupiis abſcedere valuit: & hanc ſe illi detinendo febrim à Deo exoraſſe piæ quædam fœminæ non diſſimularunt, quæ illius in Diuinis ope non ſuſtinuerunt ſe orbari; ſic illi obedientiæ exercendæ facultatem vtrobique, ſubito morbo cœlum præripuit; nonnunquam verò ſubita tempeſtate; Cùm enim adſtaret parato equus, nutuſque Rectorum ſecuturo, tam fœda coorta eſt tempeſtas vt iter coactus ſit differre, ſed inuitante poſt dies aliquot ſereno cum id repetere moliretur, turbari mox denuo cœlum ac tamdiu ventis, & imbribus ſæuire, ac minari, dum nouis literis mouere ſe loco vetaretur. Nec Ciues optimi defuere velificanti deſideriis ſuis Deo; cauêre ſi quidem graui multâ ne quis illi equos ad diſceſſum locaret, quod eorum edictum itinere pedeſtri dum ſtudet eludere, vt obedientiæ ſe ſiſtat inuadit feſtinantem febris, & lecto vrbique affigit. Tentauit ſæpiùs Euerardus, tentauit Claudius Aquauiua

Societatis Præpositi eum primariis inter nos officiis præficere, sempérque spem ac votum fefellit, volenti parere ingruens, ignota ex causa valetudo. Nihilo secius Euerardo Romanæ Domui regendæ cum fixum esset illum præponere accito per literas mandauit, vt si qua fortè præpediretur inualetudine, receptis viribus, ducentem obedientiam sequeretur. Tum verò clarius monstrauit Deus, frustra ipsum Lupiis inuideri; expeditis enim in posterum diem necessariis ad iter peractóque salutationum, & gratiarum officio, illa ipsa quæ restabat nocte febri occupatur, cuius certior factus Euerardus repetit quod ante scripserat, veniret cum reualuisset; verùm enimverò, cum per octo menses protraheretur febris, rescripsit denique maneret, nec de Romano itinere cogitaret; nempe animaduertit cum Deo pugnari, nolente Lupios priuari famuli sui ope. His Bernardinus acceptis literis febri statim liber, dein breui conualuit, lepidéque à Medicis iactatum, ei morbum indici cum indiceretur profectio esséque tunc pro viatorio instrumento expediendum illi ægrotatorium, quod Moderatores toties experti ex eo tempore ab interpellanda Lupiensi eius statione penitus abstitere.

Is verò tametsi maiorem in modum cuperet securæ ductu obedientiæ in omni vita regi, sed diuinæ iam gnarus voluntatis ei se totum permittebat, & alligantem se Lupiis Deum laudans, pergebat iis multiplicem operam nauare, in qua visa est miraculo similis Turcarum, Maurorum, Hebræorum ad Christi fidem conuersio, quî enim aliter tam diuersas illas tot mancipiorum ex

nationi

nationibus variis percipiebat linguas, quî autem vicissim ab iis percipiebatur, quanquam modo aduectis; aliosque Italicè non capientibus, nisi magnæ ipsius in calamitosos illos charitati obsecundante Deo; Præsto erat adeuntibus quacunque horâ; & quouis abiecto negotio, aurem, opem, adhortationem exhibebat; dictam verò diem institutioni solitæ si non obiissent, acciebat illos continuò, heroſque admonebat, necessarium Catechismo tempus iis concederent; si qui ægrotassent visebat illicò, amplectebatur, solabatur; si qui errori suo pertinaciter adhærerent, non idcircò animum despondebat, sed instabat & ipse pertinaciâ meliori donec illos Christo subiugasset.

Fuit in iis Turca, in quo expugnando frustrà diu Pater insudarat, sed acri denique is morbo captus, vidit nocte quadam hominem de Societate dura sibi minantem supplicia, nisi fieret Christianus, cuius visi terrore expugnatus Baptismum petiit, rogatusque de homine quis esset, respondit illum esse, qui ad Christi fidem erudiebat mancipia.

Erat Comiti Gambatosæ seruus tam obstinatæ perfidiæ vt multorum ad Christum suasiones respueret; Is ab herò Lupios perductus, vni Patris adlocutioni manus dedit, ac vitali aquâ ablutus est.

Ægrotabat alius Matronæ Genuensis, & præsagiente sub noctem medico, vix in diem sequentem peruenturum, aduocatur ad illum Bernardinus, à quo tantâ versatur efficacitate, vt in præcipuis religionis veræ arcanis eruditus, statim Baptismum impetrarit sub quem memorabat feroci vultu

vultu ac terribili quemdam correpto se capillitio detinentem primo salubris vndæ tactu, missâ prædâ fugisse: hæsit iacenti Pater noctem illam, & exquirens per certum hominem Medicus, qua horâ obiisset, vt viuere audiit ipsemet reuisens omni sanum ex parte inuenit.

Rogarat Borgagnanensis Baro Patrem Bernardinum vt mancipium quoddam suum Deo commendaret, vtpote pertinacissimum & quibusuis aures de Christo sermonibus occludentem; recepit se facturum Pater; petiitque Turcam in Collegium mitti; sed cum mandatis in chartulâ, vt hinc colloquendi ansam arriperet; venit sub vesperam inuitus; Domúmque se cum ea chartulâ è vestigio reportauit, causatus Patrem (cuius congressum deuitabat) fuisse occupatum; suspicata mendacem hera, edicit in posterum diem eòdem vt rediret; interim Pater iuxta quod pollicitus fuerat, prò illo preces ad Deum fudit; huic ergo in somnis scalæ ad cœlum pertinentes ostensæ cum essent, atque in earum fastigio miræ pulchritudinis Matrona filiolum tenens; videbatur sibi admoliri ad eam ascensum velle; sed ab ignoto quodam retro pelli, ac ne primos quidem ad gradus admitti, quæ cum experrectus aurigæ narraret vnâ in stabulo decumbenti, auditâ ex eo repulsæ causâ, quòd Turca is esset, extemplò exarsit desiderio fidei Christianæ, conueniendique Bernardini, à quo, vt illuxit, nostris mysteriis instrui, inde paucis diebus sacro fonte purgari enixè petiit, ac multâ Baronis Dominæ, Domusque totius lætitiâ obtinuit.

Accessit feliciter compluribus aliis ad Chri-

ſtum perducendis Bernardini labor, verùm quibuſdam ſtipato ingenio & anguſto Mauris doctrinâ ſacrâ imbuendis dici non poteſt quàm parco fructu quantum ſudauerit, acciditque vt ternas quotidie per quinque dies horas inſumeret ad iſta quatuor modò verba *Aue Maria gratia plena*, in eorum vnius caput defigenda eâque id animi pace, vt licet is ſaxo ſtupidior voces repetere iubentis pro doctrina ipſa repeteret, nihil tamen Pater ſtoliditate moueretur: Repete, inquiebat ille, & dic ſodes te ſolo: ſequebatur Maurus, velut hæc etiam præiret pater doceretque verba, & repete dic ſodes te ſolo, recinebat; ſi corrigeret Pater & [non debent hæc dici, ſed priora illa quæ docui repeti] moneret, reſumebat poſtrema Maurus, & non debent hæc dici ſed priora illa quæ docui, repetebat, donec tandem miſertus ſocius, Mitte, inquit, Pater cum iſto caudice tantùm temporis fruſtrà conterere, cui ore hilari, ſubridens, minimè gentium; inquit, ſed vincendus eſt patientiâ hic Dæmon, qui obſtupefacit miſelli ſenſus ne quæ ſibi traduntur concipiat, & vicit planè ac diſcipulum tandem ſcitu neceſſariis inſtruxit.

In alio mancipio dum horas complures hærentem Sacerdos diu ſpectaſſet, vt pauca illi Salutationis Angelicæ aut Symboli verba inſtillaret, affectumque ſe mirificè diceret exemplo tam ſedulæ charitatis; Imò, mi Pater ſubiecit Bernardinus, ſuam hic mihi pauperculus patientiſſimam pietatem non mediocriter probauit, cui totam diem cum obſtrepuerim, atque obtuderim, ne minimum quidem nauſeantis animi ſignum dedit.

Nempe

Nempe hunc laborem Bernardino dulcedo interior diluebat, quam prodebat quoque exterior species docentis, flectebat enim cum mancipiis genua, & principio discendi præmitti hæc ab iis volebat. Da Domine Mi IESV Christe vt verus euadam Christianus; Tum iunctis manibus à Beatissima Dei Matre flagitare illorum mysteriorum intelligentiam; eóque situ à Marchione Spinazzolæ Prouinciæ Præside visente, in cubiculo est repertus pueros Turcas quinque aut sex rudimentis fidei excolens; quam emeriti senis tam alacrem, impeditamque serio charitatem admirans Marchio Rectori qui se perduxerat; Hic verò, inquit, est eximiè sanctus.

Quàm autem totus exultaret, cum quis eorum sacro fonte initiaretur; & hilaritate oris præferebat; & testatur quadam ad fratrem Epistolâ; vbi de Turcâ Christianis adscripto. Die, inquit, Mercurij proximâ Purificationi sacrâ, genitali ex aquâ renascetur mancipium Turcicum annorum quinque ac viginti; Eius fuit lentus ad Christum accessus, nec ante adigi ad illum potuit; quàm Hebræum quemdam Ianuariis Kalendis baptismo vidit expiatum: Hic linguam Turcicam probè callens; de Christianorum vita cum illo egerat; Iis ergo hominem iam sermonibus concussum, eodem validè impuli; & dignatus est illum Deus propenso studio Christianæ Doctrinæ bis quotidie audiendæ, iamque orationem Dominicam, Virginis salutationem, symbolum, præcepta, multáque alia complexus est magna animi mei voluptate; pergit autem Hæbræus Christianè admodum viuere, eáque apud omnes laude est, vt nun-

quam fuisse nisi Christianus videatur: spiritus vbi vult spirat nec est acceptio personarum apud Deum. Sunt hæc ferè Epistolæ verba. Tres erant duntaxat Lupiis Hebræi seruituti pridem mancipati (Regnum alioqui Neapolitanum id genus hominum non alit) tres illos Bernardinus suam dedoctos perfidiam religioni veræ dedit. Sed iam sit

---

CAPVT. X.

De Admirandis rebus quas magno numerò patrabat Bernardinus arundinis attactu qua ipse gressum fulciebat.

INter eos labores, quorum partem aliquam attigimus, eius valetudo cum morbis crebrò tentaretur, eo vsque debilitata est, vt quinquagenario vix maior lapsantem incessum ac sese male sustinentem fulcire arundine cogeretur; quâ sui quò magis vacuâ, & Christi olim plenâ ludibrio, hoc plura Deus & maiora patrauit, vt illam quasi Mosi sceptrum dedisse illi videretur ad inflectendas naturæ leges in beneficium generis humani. Ac primum vt cœpit ea vti, ab ægrota discedens, ad quam confessionis causâ accitus fuerat, recipere, illam ex angulo in quod deposuerat est oblitus, sed redeuntem in memoriam repetere per nuntium statuit mox vbi Domum peruenisset. Illam interea decente loco ægrotę familiares, sed frustra collocant,

locant,iis enim repentè videri desiit, & redux in Collegiũ. Pater vidit in cubiculum relatam,blandéque ad socium versus;putabam, inquit,me foras arundinem tulisse, & ecce video hic à me relictam.

Beneuentana Comes apoplexia irruente loquendi vsum amiserat,maritus Prorex Neapolitanus sæuo casu afflictus iubet è Carpignanensis Ducis palatio festinato arundinem peti quam Bernardinus gestauerat, eius ad tactum Comes lingua facultati restituta,pronuntiatur à Medicis vitę periculum superasse,cuius rei fama toto Regno sparsa,cum ad Bernardinum venisset, Benedictus Dominus, inquit, nec de re dissimulanda laborauit.

Ioannem Alfonsum Maramontium nobilem Lupiensem medicorum iudicio vix die integrâ victurum Sacerdos commendabat Patri; cannam is cum sacra Imagine illi tradens,fer, inquit, te quæso,ista ægrotanti, & familiaribus dicito, hoc quidem morbo minimè periturum, accepta ægrotus,vt potest,osculatur,nutibusque efflagitat sibi ob os apponi,& piis horas continenter duas osculis veneratur,post quę se multò habere melius denuntiat;ciboque inde ac somno recreatus sequenti die à Medicis vacuus morbo deprehenditur.

Franciscæ Antoniæ Manfridiæ Tærensi grauidæ coniux Lupios venit opem illi à Patre petiturus, quod olim periculosos partus experta esset. Respondit Pater saluã fore,sed tacens de infante, suspicionem homini fecit moriturum, secum verò is Patris cannam ab vno è Collegis acceptã asportauit, quam deinde vxor ægerrimâ partione iam

ſemianimis,& motus expers admoueri ſibi cū obtinuiſſet,fœtum mox expulit,quo protinus mortuo ipſa egregiè valuit.

Alexandrum Franchum Iuris doctorem febris grauiſſima Lupiis vexabat, dedit operam ex cannis quas geſtarat Pater Bernardinus ad ſe vt aliqua perferretur,prehensáque actutùm ſibi meliuſculè factum ſenſit,tenendoque illam deinceps reuerenter, premendo, oſculando, omnino conualuit.

Camillum Ajellium nobilem Tarentinum poſt longã, & lethalem diſenteriam, retenta inſuper vrina,ſpei omnis exſortem fecerat cum humanâ maiore confiſus medicinâ, accerſit Bernardini cannam,à cognato Doctore Lupiis allatam,& eam frequenti oſculo veneratus,Deoque famuli merita repræſentans cruciatibus applicat;res mira; momento vaneſcunt cruciatus; ſoluitur liberaliſſimè ad officium natura, & paucorum dierum ſpatio, illâ quoque priori, & diuturnâ ægritudine liberatur.

Erat Principi fœminæ Rupis Dominæ ancilla nominæ Laurella,inſtar cadaueris, ita mali vis iacentem proſtrauerat; huic hera voluit Bernardini cannam ab vno de Societatis Patribus adhiberi, & horæ poſt adhibitam quadrante reuiuiſcit ægrota,loquitur,confitetur,die proximè inſequenti vel paulò poſt,in Caſtri ſacellum(erat autem id Caſtrum Abbati nomine)per ſe ipſa pergit & Chriſti corporis Auguſtiſſimo epulo reficitur.

Fuit puerulus toto corpore contractus, & in terram curuus ſic vt cunctis miſerationem excitaret;ſed tantò maiori eorum admiratione, vno ex

iis

iis calamis piè impoſito,abſque vlla morâ erectus eſt,ac ſanus remanſit. Onofrio Melio febri fortiter æſtuanti remedium idem ſaluti fuit, cumque interea dum vires reciperet,eo calamo niteretur, commodiſſimè incedebat,hunc ſi relinqueret corpus cum magnâ moleſtiâ trahebat. Huiuſce amita Olympia Barrera pauperem in ſuo prædio alebat cui aluearij mandarat curam, huic morti propinquo eiuſmodi calamum cum inferri iuſſiſſet,omni mox febri ſolutus eſt.

Catanzaræ Hippolyta Paula ex malignâ febri ſic intumuerat,vt de illa Medici deſperarent, rogauit ex Collegio Bernardini cannam quem Dei famulum in paucis magni faciebat, hanc ergo complexa & deoſculata ſingulari ſenſu pietatis, repentè detumuit,ac bona ex parte à febre immunis effecta eſt. Venient fortaſſis tot beneficia ex rerum ſimilitudine legenti minus grata; ſed gratà fuere conferenti, accipientibus, ſpectantibuſque gratiſſima,quorum,iſta dum legimus,induere animum nos decet, vel ne minus omnia placeant, dumtaxat aliqua legere.

Franciſcus Ruinus Eques Melitenſis Neapolim verſus Lupiis profectus acutiſſimo lateris dolore Molæ ſiſtebat. Eodem Pater Carolus Maſtrillus ex itinere diuertens Bernardini cannam quam ſecum tulerat,affecto lateri impoſuit, quo facto confeſtim ita dolor ceſſauit,vt cœptum Iter eques ſequeretur.

Erat Hieronyma Pandonia de ſucceſſu partus valde anceps,vitæque dubia,quod non ita pridem magno eſſet pariens defuncta diſcrimine, hæc ſumpta in manus Bernardini canna felici-

cissimum est nacta partum.

Angelus Piscarisius Iuris Doctor Bouini Neapolim tendens humoribus in collum profluis per multas horas vexatus est, simili cannâ quam pietatis gratiâ gerebat collum premens, liber ab eo dolore efficitur.

Romano Libruno Neapolitano in cassum cum essent quæ ad leniendos stomachi dolores multa indebantur, eadem medicina saluti fuit.

Margaritam Magisiam in B. Ioannis Cœnobio Lupiis ancillam, abscessus interior iam sesquiannũ cruciabat cum incredibili graueolentia, & eò tandem adduxerat vt sacro oleo quamprimùm vngendam Medici censerent, sed vna ex monialibus Bernardini arundinem baculum hîc profert, quem admonita ægrota cum religiosè sibi appressisset, eodem tempore omnem sensum doloris oppressit, omissâque suprema vnctione quinto post die è lecto surrexit. Vulgatâ ergo harum arundinum toto latè Regno tam admirandâ vi requiri à multis cupidè cœperunt. Ipse Mutius Vittellescus, Societati Præpositus, tunc verò Prouinciæ Neapolitanæ, illam sibi optauit, qua tunc Bernardinus gressum sustentabat quassam, multisque religatam locis; & comparente illo in cœtu reliquorum, dissimulato studio Rectorem increpitans firmiorem cannam sine mora iussit illum curare Bernardino, dolens tam incuriâ scilicet charitate, quæ fractam vndique gestari ab illo tamdiu sineret cum multiplici labendi periculo, sic illi multum pro confracta pugnanti, & commodiore qualibet alia probanti integra data est, veterem illam, & interpolatam Prouincialis Neapolim abstulit.

Sed

Sed hæc de calamis non ſanè ventoſis, verum profectò in ſceptra dominantia conuerſis, & Dei nomina naturæ iura dicentibus.

CAPVT. XI.

Quopacto in morbis ſe haberet; Quàm multa per ſacras Beatæ Irenes Virginis & Martyris reliquias admiranda patraret.

POſſent de Bernardini morbis exempla duci occupatiſſimæ, piiſſimæque ſanitatis, nam ægrotus interdiu legentem ex aſcetico Tractatu audiebat, interiectâ interdum pſalmi alicuius, aut patientis Chriſti lectione; noctu expergefactus mente Deum orabat idque non rarò de genibus; dies ieiuniis ab Eccleſia indictos æger licet religioſè obſeruabat, nunquam auditus morbi pondus, nunquam exhibiti miniſterij errorem aut culpam cōqueri, vnum ſe ferre iniquius monſtrabat quod liberalius haberetur; ſolus dum ageret in deflendis peccatis, & meditatione totus erat, ac familiaribus cum Deo colloquiis; & ſic nullam ſui aſperius tractandi præteribat anſam, vt etiam muſcas ori, ac manibus inſidentes abigi vetaret in exercitium vt ipſe loquebatur patientiæ: mortis & patriæ cœleſtis deſiderio tenebatur, ne quod ad fratrem ſcripſit, cum vitâ longiùs productâ, ingrati animi culpam ſimiliter proferret. Quando conſcindes, inquit iis literis, ſaccum meum Domine IESV

cum B.Bernardo loquor,ſolutum exilio in patriam regredi expetenda res eſt;fato igitur functum cùm audies, pro certo habeto me libenter functum, vnâ tamen & ſola Dei fretum miſericordiâ, & ſanctæ meæ ac beatæ Matris Societatis IESV præſidiis: Aliâ verò epiſtolâ, Pro me Deum precare,non vt diu viuam, ſed citò moriar, aliter enim redire in patriam non licet; ſi autem viator greſſum tantopere, patriam verſus accelerat, ingruente potiſſimùm obſcurâ nocte, vt quid optet ſenex vitam extendere,hoc eſt nouas culpas veteribus addere,errata erratis,& oneri onus;hei mihi; quia incolatus meus prolongatus eſt,

Licet autem fore breuioris æui crederetur, at ratus ſemper eſt ſe fore longæuum, & triginta totis quàm obiret annis cum ægrotus iaceret, innuenti cuidam ex Patribus de vita illius ambigi, longam ſibi reſpondit viam ſupereſſe ac valetudine identidem morbis accerrimis proſtratâ, miris ſemper modis conualuit; diro cruciatu latus quãdoque fodicante,modico illius panis eſu,mox perſanatus eſt,cui Sancti Auguſtini Patres in honorem Beati Tolentinatis Nicolai benè precari conſuêrunt;ſolitus enim eo malo torqueri nunquam præterea illud ſenſit; Quare miraculum in Sancti gloriam impigrè vulgauit;Aliàs ſiniſtro diu acerbiſſimè brachio laborans mannâ Beati Nicolai liniri voluit,eoque remedio dolorem abegit, cuius rei Germanum per literas ſtatim reddidit certiorem,addens hac de cauſa ſe precationem ſancto illi ſacratam recitaturum quotidie optanſque vt virtus ſic perficeretur in infirmitate, & frater ſemel ad Sancti Nicolai rem diuinam curaret

in gratiarum actionem.

Voluentis sæculi primordio tristis illum inuasit morbus qui annos quatuor insciis omnibus tacitum durè exercuit, Roma id temporis Beatæ Irenes in Collegium Lupiense venere reliquiæ, ac tum primum in argentea statua propositæ sunt populo colendæ, magno cùm sacro, tùm literario apparatu, nam variâ Carminum lucubratione Emblematis, & Epigraphis vestiti sunt Templi parietes & quia Domino visum est ad Martyris suæ celebrationem cum famulis suis conferre symbolum, at planè Deo & sanctâ dignum; suauissimi nempe odoris fragrantiam, quæ cœpta tum ex iis ossibus grandi prodigio spirari, in hodiernum diem perseuerat incredibili experientium consolatione; Hîc residem & arentem venam sollicitare Bernardinus annis licet ac valetudine decrepitus, & epigrammata canere ad nouos cœlestis fragrantiæ afflatus pro virili sua prædicandos, quibus dum insistit iuuenili studio bonus senex, en tibi qua lacerabatur quadriennis & molestissima scabies derepentè vanescit, quam Sanctæ Martyris erga se liberalitatem multis ad amicos litteris est professus, & hoc epigrammate laudauit.

Solus ego totos fateor sum conscius annos
Quatuor, vnde mihi sordida facta cutis
Dum verò sacris Irenes nuper odorem
Ossibus inclusum cœlitus, ipse caro
En impura lues nullo medicamine fugit
Munda cutis pueri visa referre cutim.
Hæc facis Irene; nosti hæc quæ cuncta videntem
Virgo beata vides, vera tacere nefas.

Vt verò Beatam Martyrem impensè coluit, ita

gossipio

gossipio sanctorum illius ossium contactu sacrato multa patrauit miracula, in quibus illa sunt quæ sequuntur.

Erat à Medicis Didacus Chetta ex insana febri, & apostemate cordi adnato depositus, monebaturque paucas horas restare ad supremum iter comparandum, Quare Ioannes Chetta Iuris doctor ad Bernardinum currens eius se pedibus aduoluit, medicinam filio supplex rogans procidit & Bernardinus in genua, litanias Virgini Dei matri vterque recitant, post Bernardinus die insequenti aditurum se ad Iuuenem spondet, neque enim illum nocte interiectâ moriturum; mane, cum adesset, præmissis aliquot orationibus adolescenti gossipium imponit ab Sanctæ Irenes reliquiis sublatum seuocatæque priuatim matri, ne luge nunc, ait filia, euasit periculum, valetque filius, & potes Deo, metu procul, gratias agere. Sub hæc in Collegium rediit, & Iuuenis egregiè sanus cum omnium admiratione mox lecto surrexit.

Huic ipsi adolescentis matri Antoniæ Monciæ læuum oculum abscessus, tum dextrum quoque occuparat, sic vt dies solidos quadraginta neutrum posset aperire; ad hæc oris totius capitisque inflatio ita creuit vt maxillarum nullus, linguę vix tenuis superesset motus, pronuntiarentque medici post irritos artis, & industriæ conatus, nihil iam expectandum præter mortem, aut cæcitatem perpetuam; verùm ab ipsa vocatus Bernardinus, confessione vti potuit, absolutâ, fasciam exsoluit qua collyria stringebantur, impressâque oculis cruce, confide modò inquit, nam breui sanabere, quo temporis puncto recuperauit iam vtcumque visum

ſum,ſed ita continuò reualuit,vt citra miraculum negarent medici fieri potuiſſe. Non multo demùm poſt tempore ne veſtigium quidem retinuit tàm faſtidioſæ ægrotationis, ac ſpatio temporis tam anguſto immedicabilis; fecit autem in diſceſſu Pater,vt iacenti cartula necteretur Beatæ Irenes inſcripta nomine, cui tanti operis volebat gloriam aſſignari.

Hieronymus Calus Tarentinus annis ſeptem ſtrumis fœdatus eſt adeò atrocibus, vt id genus omnium peſſimum & incurabile Medici dicerent, à quibus Tarenti,Neapoli,Lupiis medicinas,vnguenta, vulnera abundè emerat; nullo vnquam valetudinis lucro; recrudeſcente ſemper lue, tametſi quandoque ſe abderet,videretur quœ inducias facere. Venit tandem ad Patrem Bernardinum, iactanſque ſe ad illius pedes,cannam, roſarium, veſtes & quæcumque alia poterat, oſculari,collo applicare,calamitatem ſuam vbertim flere;tùm prolixitate morbi & malignitate lamentabiliter enarratâ,liberationem poſtulare,quibus inflexus Pater quà ſtrumæ turgebant crucem ſignat; manúque capiti impoſitâ aliquamdiu precatur,tùm porrecto de quo ante eſt dictum à Sanctæ Irenes goſſipio, & imperatâ in eius honorem ter oratione Dominica & Virginis ſalutatione,denique ſubiicit:abiret porrò ſpe bona lætus; commendaturum ſe illum Deo,nec interfluxuros dies multos,quin perfectè ſanus euaderet. Redit, refertque propinquis, Patris facta, dictáque quorum dùm auidè opperiuntur finem,reſidet inflatum paulatim collum, virulenta humorum ſanies areſcit,ac vigeſimũ intra dié morbus omnis nũquã reuerſurus diſpellitur.

Patrem

Patrem Iacobum Brancaccium dùm Lupiis degit, frustillum vitreum, medio digiti impactum neruo, acerbissimè vulnerat, sic vt extendere digitum nequiret, aut tantillum interquiescere; hinc Medicis timor ne fieret in perpetuum mutilus, & ex consequenti deliberatio illum Neapolim mittendi experi undíque Puteolanas aquas, & si quæ forent alia curationis præsidia; quo Bernardinus audito consilio ad eum in cubiculum accedens, futurum confirmat vt persanaretur; prolatisque de templo Sanctæ Irenes reliquiis affectum digitum iis tangit, maneque die posterâ æger, stupente medico ad euidentiam miraculi, sanus omnino fuit, & Deus in sua Martyre laudatus.

Horatius Pallonius in Lupiensi Collegio tunc hospes doloribus capitis triduum excruciabatur, cui Bernardinus, auxilij quidpiam ab eo rogatus, crucis figuram oleo illinit quod ante Beatæ Irenes lipsana ardebat, vnâque momento dolorem abstergit.

Tærenti Francisca Ritondia profluuio sanguinis tam diuturno exhauriebatur, vt esset cadaueri similis Huic Leonardus Pratius nobilis Lupiensis à Patre Bernardino de Sanctæ Irenes gossipio pauxillum impetrauit; quod cum traderet Pater iam inde, vt posteà est agnitum, Tærenti ægrota sibi meliusculè esse sensit, acceptum verò cum sibi admouisset, adiectâ semel oratione Dominica, & Angeli salutatione prorsus conualuit, vt à Bernardino fuerat eidem prænunciatum. Venit paulò post Tærentū Nobilis vxoré sibi ex illustrissima Vergæorū familia desponsurus; pridie sponsalitiorum, ad sanguinis libras 12. cum vel expuisset, vel euomuisset;

muiſſet, iacuit ſemiuiuus eodem tamen Beatæ Irenes applicito pignore è veſtigio reſtitutus deſtinatum connubium tranſegit.

Hannibalis Moleſij Hydruntini Prætoris honorarius ephebus oculorum epiphorâ peſſimè affectus repentinam valetudinem recepit Bernardino illius oculis ſacrato goſſipio crucem inſcribente, idemque aliás ſtrumarum correptus vlcere, remedio ſimili ab eodem pariter eſt ſtatim ſanatus.

Patrem Petrum Antonium Riſtaldium Neapoli Lupios noſcendi Patris deſiderium traxerat; cumque aure altera ſurdus eſſet, agnitum rogauit, vt illo ſuo ſolemni goſſipio illam contingeret, quo facto abſque vlla mora integrè audiuit. Vererer tot mirabilium hic apud legentes præſtantiam multitudo aut ſimilitudo minueret, niſi regia in veſte gemmarum pretium vtrumque commendaret, quali famulum ſuum videtur Dei potentia etiãviuentem exornaſſe. Pergo itaque lectorem per tam multa, magnáque ducere, vt iure vſurpet. *Calcabam nec opinus opes:*

Catharinæ Mezzeæ virgunculæ deformis in oculo macula ex variolis remanebat; quæ Patris Bernardini goſſipio prorſus eluta eſt: Eodem alia viſum ſenſim recepit, ſuffuſione oculorum penitus interceptum, cum id parenti Ioanni Dominico Coſcero nobili Vgentenſi mandaſſet Bernardinus infantis filiæ oculis à matre crebriùs apponi ſic illos ſibi reſtitutum iri.

Pater Antonius Beatillus in Tropienſi Collegio ex lethali morbo poſt ſacrum viaticum ſeruatus ab Sancto Nicolao, cuius tum colebatur, dies bimeſtri poſt febris quidem expers, carcino-

dis

dis tamen intra nares retinuerat quandam labem quæ septum illarum medium paulatim exedebat pertinacissimo aduersus remedia processu; ob hæc Lupios missus, à Bernardino expetiit, vt Beatę Irenes reliquiis supra ægras nares crucem efformaret, fecit, apertéque asseruit non ituram vlterius mali tabem, sed eo quem occuparat hæsuram gradu, quod vti affirmarat ad amussim euenit.

Ioanni Baptista Personio, trimestre iam spatium acerbissima epiphora oculos cruciabat, & obtensus pupillæ rubeus panniculus; Ioannem Antonium Ioannis infesta febris & periculi plena detinebat; Antonium Bellium è Societate IESV ex illiso per viam à iumento calce ingens labor; singulis eadem à Patre Bernardino Sanctæ Irenes medicina sanitati fuit.

Et quando de Bellio hîc occurrit, non differam alia quæ in eius familiam munera vir Dei coniecit, sorori Flauiæ Belliæ ad summum vitæ in quo erat discrimen accessit sæua contra Christi fidem conflictatio, qua dirè torquebatur; Huic impositus Patris Bernardini pileolus, & capitalem febrim ex corpore & conflictationem blasphemam ex animo repentè discussit.

Ibat Ioannes Baptista Bellius Leonardi decennis filius Lupiis in villam carro vectus sic vt crura antrorsum librata penderent, eorum alterum grandi saxo mediis rotis incurrente corripitur, carri alueo oppressum obteritur miserabili pueri eiulatu, mox humor, dein febris, & prænuncius gangrenæ nigror, cũ incredibili tormẽto, nullóq; à multis quæ cõquirebantur leuamine, cũ eius amita Bernardinum in Templo conuenit, sacrumque ab ipso pro

fratris

fratris filiolo postulauit; quo puer absoluto, inclamat domesticos, seque sanum & doloris expertem asseuerans è lecto surgit, pede in pristinum colorem, formam, & incedendi vsum restituto, quod comparatis horis animaduersum est Bernardino sacris operante cœlitùs patratum. Luctabatur cum morte eadem Fuluia Bellia ex tertio ordine S. Benedicti supremum halitum iam iam efflatura; eodem ex Ordine Sybilla Cucurria illam visit; *Pater* & *Aue* cum adstantibus Deo offert, & aliquibus Bernardini quas penes se habebat reliquiis moribundam tangens, eam ad vigorem, ad vocem; ad meliora reuocauit, sic vt breui præclarè valuerit.

Cæsari Bellio ex pedum tumore acer dolor inde augebatur quod non posset sodalitatem B. Virginis vt assueuerat frequentare; ingressum enim peracerbum ægrè scipione fulciebat, paucos (vnde haud scio) Bernardini capillos cùm obtinuisset, illos ægris adhibuit cruribus, nec mora simul turgenti humore; doloréque difflatis; siccari eorum quatuor vlcera; ipse fulcro abiecto non incommodè ambulare; sed hæc & alia in eam familiam Bernardinus: redeamus ad res admirandas; quas B. Irenes præsenti numine peregit.

Iosephi Panneterij pueri mœrentem patrem cùm de filij morbo inciperet, anteuertens Bernardinus; num, inquit ex suppressa vrina? omnino, respődet flens Pater, & grauissimè torquetur. Nihil hinc timeas, ait Bernardinus, cape sis tantùm hanc cartulam cum inuoluto gossipio; quod S. Irenes reliquias contigit, & vxori trade, post orationem Christi Domini & Virginis salutationem puero

imponat statim vtique sanando, quibus vti mandarat, præstitis, consecuta est promissa valetudo, expulsis per horam integram, quæ spasmum violenter conclusa puero ciebant; Huic ipsi verò ætate iam prouectiori sed longa mensium trium febri qua æstuauerat in ecticam desinente, simili pharmaco salus reddita est; vt Diodoræ quoque Samaliæ ex B. Francisci tertio Ordine, cui nihil penè supererat, quod non in Medicos, & medicamina consumpsisset ad extinguendum carcinoma papillas miserè arrodens.

Cæsari Saracenio humores decidui alterum brachium grauabant, & incrudescebant remediis, sed S. Irenes gossipio à Patre Bernardino accepto dissipati dolorem vnà secum abstulerunt.

Ludouicus Samalius anniculo maior; & Ioannes Andreas Felix anniculo minor; ille ab intestini in scrotum prolapsu continuò humi repens, signo crucis & sacro gossipio, ac recitatis semel *Pater*, & *Aue*, hic verò ab hernia eodem gossipio Bernardini sanati sunt.

Olympiæ Pratæ Hieronymi Verardi viduæ, ex immoderato sanguinis profluxu à Medicis abiectæ, preces à Bernardino, Federicus Verardus filius exposcebat, dedit adolescenti gossipium solitum, Matríque iussit inferretur, post orationes Christi & Mariæ in laudem S. Irenes dictas certóque ægrotam (vt verè contigit) valetudini reddendam.

Lauiniæ Casauecchiæ læuo adnatum oculo, & naso staphyloma putarant Medici arte sua difficilius, & destituerant, id Pater Bernardinus familiari suo Beatæ Irenes remedio formâ crucis adiectâ

iectâ vt tetigit, è vestigio minui visum est ac pedetentim totum euanuit.

Ioannes Petrus de Bannis Medicus Nardensis tam ægro asthmate laborabat, vt nec halitum posset nec cibum ducere; quare subueritus ne quod illi fascinum inesset, Lupios petiit Bernardini opem experturus cuius admonitu ter *Pater*, & *Aue*, cum de genibus præmisisset, manu capiti eius inductâ Pater, consuetum gossipij amuletum Medico donauit, negauítque asthma vnde suspicabatur ortum esse, sed fore ab eo in posterum immunem, quod domum hilaris cum repetiisset, extemplò sibi confectum obstupuit.

Francisco Antonio Muscettolæ Brundusij angina mortiferà correpto misit Bernardinus gossipium solitum cum icunculâ lustrali, cuius appressu conualuit.

Beta Clibanariæ filia, nondum octo annorum puella cum æquali, vt fit, ante os clibani colludebat, huic ioco de prunis ex euersò furno à matre collectis alia inspergit eámque penitus excæcat; sed sensu adeò intolerabili vt diuino, nocturnóque eiulatu, ploratu, ac spasmis totum triduum impleret; inde à matre ad Isabellam Venturam, ab hac in Societatis ædem ad Bernardinum deducitur, eiúsque misericordiæ sistitur, is solenni suo sanctóque gossipio, piaculari adsperso aquâ supra vstulatum, perditum, & cæcum oculum, in crucem ducto, subiungit breui reparatum iri; colligat oculo gossipium Isabella puellamque ad Matrem remittit, quæ laxatâ sub seram vesperam fasciolâ, integrum oculum deprehendit; ac si nihil fuisset mali passus.

Erat P. Ioannes Mirabellis in extremis ſacro iam viatico munitus, cum accedens Bernardinus, ad religioſè moriendum, animos, opémque illi additurus, de S. Irenes goſſipio pauxillum brachio apponit, ex quo mox, ægroto meliuſculè fit, ac paucis diebus ſanitas ſuccedit.

Dionoram Simonetam Tærenti in patria deliratio diuturna fatigabat; hæc miſſum à Patre Bernardino goſſipium cum piè ſibi admouiſſet, non delirio tantùm ſoluta eſt, ſed cui ſuam hanc commodauerat medicinam Iulia Moronia graui à morbo liberata.

Quæſiuit ex Patre Purſilia à S. Maria Herculana (quod eſt vicinum Lupiis Caſtellum) auxilium aliquod ægrotationi quæ permoleſta filiam detinebat, dedit ſolitum Pater ac toties dictum, multóque ſæpius mirâ & potenti efficacitate vſurpatum; quod virgini ſanitatem priſtinam reparauit. At finis ſit, nec enim breuitas, aut ratio ſinit omnia referri, quæ Irenes Virginis ac Martyris nomine Bernardinus admirabilia peregit.

CAPVT XII.

Lupienſis Collegij Rector præficitur, illúdque adminiſtrat.

QVanquam erat ingenium Bernardini impatiens otij, ac multa Lupiis aſſiduè obibat munia, ſed ab regendis aliis abhorrebat, quibus in eo Collegio cum illum Claudius Aquauiua

præfici

ræfici mandaſſet,eiúſque muneris litteras à Pro-
uinciali accepiſſet,nullas omiſit rationes quibus ſe
lli officio imparem demonſtraret, ſed nouo de-
num Generalis eiuſdem Præpoſiti mandato mo-
em geſſit. In hac ergo eius gubernatione ſumma
mprimis charitas eluxit, nam ſe ipſe interdum
eſtibus commodis exuebat, quibus alios indue-
et, ac licet paupertatis ſanctæ amator eſſet adeò
ingularis, vt nihil non vetus, conſutum,& inter-
olatum in cubiculo pati poſſet; At quibus præ-
rat volebat in neceſſariis conſultum; ægrotantes
erò ad duodecies, & eo amplius in die inuiſere,
ernoctare etiam cum illis dimiſſo ad ſomnum ca-
iendum illorum cuſtode, eorum qui ſanguinem
miſerant noctu faſcias explorare, menſam ipſe per
eſe ponere, afferre cibos è culina, frigidam è ci-
terna; lectum componere; purgare vaſa;cubicu-
a eorum excolere; fouere in iis hilaritatem piam,
& verborum ſuauitate,velut mater optima erectos
onſolari; nec diſſimili charitate erga externos
ti; in carceribus vinctos,in Noſocomiis ægros,
n compitis otioſos, variis per vrbem locis rudes,
ueros, plebeios; in Caſtellis & Pagis vniuerſos,
uorum operâ, audiendo, iuuando, Chriſtianæ
irtutis præceptionibus imbuendo; hoſpites verò
ic excipiebat, vt cordis intimo penetrali velle
pſos locare videretur; pauperum egeſtatem libe-
ali ſtipe ſubleuabat, nec quidquam ex eo quæſi-
um eſt vnquam ad veſtiendos, alendóſque ino-
es, & ægrotos quòd non tribuerit,detractis etiã
ibimet quandoque interioribus veſtimentis, vt
eos operiret; non ſinebat mendicos,& concurre-
ant ſanè multi, ab ianua vacuos abire; imò ædi-

tuo volebat panem in sacrario præsto esse, quem eleemosynam in Templo captantibus erogaret; ac vti ex vno fiat de multis coniectura, aliquando sexies vnâ die incendi furnum iussit, vt panes egentibus pararentur; inculcans qui Deum optarent erga se liberalem, esse oportere erga egenos liberales, & verò expertus est ex ea semente in pauperibus factâ rem sibi domesticam creuisse: duos quot hebdomadis saltem semel, adiutores fratres mittebat in carcerē vinctis prandium daturos, & amplissimam fecerat Collegis omnibus potestatem, vt panem, & ejusmodi res, petentibus liberè donarent. At quos paupertate violentior à mendicando verecundia arcebat, iis verò succurrebat non contemnendâ pecuniâ, & egentibus fœminis arcanâ stipe per matronas nobiles submissâ.

Iam verò par tantæ charitati deesse prudentia nequiuit. Peccarat quiddam vnus ex fratribus haud quaquam negligendum; hunc pœnam Pater cum indici mandasset voluntariæ in triclinio verberationis, cognouit ægrè ab eo admitti, & exemplo non bono incusari. Quare ne grauius iactaretur, misit qui reuocatam pœnam nuntiaret, ad cœnam autem cum omnes venissent, in medio constitit Dei seruus & aduocato fratri in amplexum ruit, veniam petens occasionis quam illi præbuisset, quo tam insolenti spectaculo omnibus lacrymas expressit, vocésque hunc demum prædicantibus verè sanctum; & fratris indocilem animum demissione sui tanta ad pœnitentiam emolliuit. Senex & Rector aliorum, suum tamen in septimana diem vilibus culinæ officiis statum dabat, quin pene quotidie alicuius vice in iis erat.

Et

t fuit per totum Quadragesimæ sacræ tempus, vt
ances diebus singulis emundaret; ferè super men-
am lectorem agebat; sæpe ianitorem, inclamans
e more qui poscerentur ad ianuam: addebat se
ocium lineæ vestis curatori, eamque vnâ in lixi-
ium loturam deportabat, lotam verò ad locum,
nde attolleretur in subtegulanum solarium, quod
um fieret deorsùm consistens, sursum atttrahentis
commoditati ministrabat; ligna per hyemem ex
mis scalis in focum peruehebat; excitatoris obi-
bat munus, cum hunc alibi occupari sors ferret;
editui socium (cum daretur cuipiam in vrbem co-
mes, aut distineretur, vt fit, in aliis rebus) sup-
plebat ita diligenter vt cursaret per domum, nun-
tians, accersens, & peragens quicquid ab Ædi-
tui socio solebat, dumque mediâ brumâ inueni-
rentur difficile qui crudum mane absque incom-
modo perferrent, ipse primum sacrum sibi elegit
celebrandum.

Hac tam nouâ regendi methodo mirum non
fuit Bernardinum, non suorum modò mereri ap-
probationem sed etiam Præsidum. Igitur Clau-
dius Aquauiua, ne modestiam illius mœrore af-
ficeret, tacito Prouinciæ titulo quam ei parabat
digniorem, scripsit velle se illum transmittere,
vbi meliori valetudine vteretur, quod simpliciter
acceptum significauit in hæc verba Lupiensis
Collegij fundatori. De me resciueris, opinor,
charitas Patris nostri quam sit nimiùm tenera
in suum hunc iam senem filium. Sed hoc lubens
sanctæ obedientiæ committo, cui quicquid pla-
cet profectò Deo placet; mihi verò quid debet
cordi esse nisi quod Deo acceptum est. Quare

exultabo in Deo IESV meo, aut me Lupiis velit, aut esse alibi gratius habeat. Accepit haud multò post successorem, cum magnâ sanctáque prudentiâ sesquiannum Lupiis gubernasset; sed istinc abscedere volenti ea interuenit valetudo, quâ ibidem retentum cœlitus non pridem scripsimus. Porrò Leuatus Collegij onere haud sese tenuit, quin fratrem suum in partem lætitiæ vocaret, sic ad illum scribens; moneo securus venturum id tibi gratissimum, Patrem nostrum Generalem, pro summâ suâ charitate, dignatum meæ senectuti gubernationis pondus detrahere, quanquam gubernatio nostra omnis, vt verum fatear, cum amore nitatur, pondus aliud non habet nisi quod ex rei naturâ, præfectos cæteris comitatur, quibus eos oportet necessaria videre. Ergo vigilia Pentecostes successor meus renuntiatus est vir eximiæ virtutis, quique agit mecum non vt Rector, sed velut amantissimus filius, sic concessâ gratiâ lætus fruor, at cauendum mihi etiam atque etiam, ne beneficia diuina ingratus occupem; & quod mihi abundat temporis parum vtiliter expendam, sed mente in IESVM dulcissimum maiori de cætero feruore crebrius sublatâ. Ad hoc tuis me piis apud Deum precibus adiuuabis.

***

CAPVT

CAPVT XIII.

De graui, ex lapſu, Bernardini ægrotatione.

SÆpius quidem aut veſte implicitus, aut debilitate ac ſenio, vt aiebat, vt verò alij, Dæmonis odio & operâ humi prolapſus eſt Bernardinus, nullo, ad ſummum leui, detrimento corporis, & quietis; ſed æui currentis decimo, ex prææalto loco, præceps magno impulſu afflictus eſt, ſtupénſque & exanimis iacuit; excitus ſtrepitu, cum Patribus duobus Rector videt optimum ſenem ſanguine fœdatum qui magnâ copiâ ex naribus & duplici vulnere fluebat; quod vbi in populum exiit, qui tum concionatorem audiebat, extemplò confertim in Collegium concurrere, ſparſas cruoris guttas de genibus legere, velut magni pretij margaritas, eo ſtrophiola, & faſcias tingere, dum medici congeſtum premendo vulneribus prolicerent illum pauimento abraſum cucullis cartaceis mixto puluere adſportare.

Qui verò hunc aditum nacti Patris cubiculum ſubierunt neque pileolum, nec zoñam, nec precatoriam coronam, & eius generis talia illic reliquerunt, ſed ſibi pro reliquiis abſtulerunt. Fuit adoleſcens nomine Robertus Antollietus qui cruento quod tulerat filo inflammationibus faucium diu ſibi moleſtis præſens medicamentum fecit. Neque horum quidquam aduertere potuit

Bernardinus, tum quidem ſenſuum vſu captus, & mortuo ſimilis, poſt verò ex tam graui caſu dies quinquaginta lectulo affixus, nulla vnquam eorum quæ acerbiſſima perpetiebatur ſignificatione minus patienti, ſed dolores ſuos Chriſti doloribus & peccatorum memoriâ conſolans.

In hac autem ægrotatione nono Kal. Aprilis, octauâ noctis horâ dum vigilat ſubleuatus eſt à Deo ad ſpectandum in cœlo Chriſtum in Crucem ſuffixum, ſed ineffabili gloria circumfuſum, audiendáque ſibi loquentis verba, ex quo præter liquidiſſimam quam hauſit voluptatem viſus eſt ſibi fidei arcana manifeſta in luce perſpexiſſe, quæ cauſa fortaſſis extitit de valetudine hac ſua in hunc modum ad fratris filium ſcribendi. Placuit amantiſſimo IESV conſolatione me dignari ſua in hac durâ diſtentum cruce, ſic vt verè mihi dicere liceat, id malum magno mihi bono extitiſſe, nam & ſpecies Chriſti patientis obuerſata eſt animo continenter, & veterum recordatio peccatorum (quæ repetitis ſæpè confeſſionibus expiaui) & totis quibus decubui diebus quinquaginta nunquam interna dulcedine carui certóque agnoſco eſſe mihi occaſionem eiuſmodi denuò optandam: Iunge tuas gratias meis in laudem diuinæ bonitatis, cuius peculiari beneficio hanc crucem debeo.

Rectori verò Collegij qui tum erat Petrus Ioannes Schinchenellius notæ probitatis & prudentiæ teſtis, viſum ſuperius retulit, nec non Franciſco Maſtrillio ſolerter expiſcanti ſimpliciter narrauit. Aprili deinde conſequente, confectum ſuppliciis ſe Chriſtus eidem exhibuit direptámque

e de summo capite spinarum vnam sed absque
spide, Bernardini capiti imponens quæsiuit ec-
idnam doleret, cui æger, nihil penitus dolere,
òd etsi spina esset, mucronem in Christi vene-
ndo capite reliquisset, proinde nihil cruciatus,
l multum gaudij afferre: neque ista tamen vltra
odulum suum Bernardini mentem efferebant.
iò conspicatus de rebus vsu suo tritis, de san-
ine ac similibus captantes, iniquissimo animo
tulit, & eas vt vocabat futilitates, multum re-
ehendit; ad sanitatem verò quod attinet, tam
dicato animo fuit, vt de morbi vel statu, vel
itu nunquam interrogauerit, totus planè ex di-
no arbitrio, nutúque suspensus: Imo Patri cui-
m valetudinis breui rediture spem vt fit, mo-
enti; minus, inquit, decet religiosas mentes
ec cogitatio, debemus ex Dei voluntate sic apti
endere, vt quocunque versum placuerit, nos agat;
a Deo visum, vt hic me casus lecto affigeret; ab-
t, aliter fiat quàm Deo fieri placuit. Restitanti-
us etiam chirurgo nonnullis ad aperiendum hu-
nori aditum plagas ferro laxare molienti ne
randiores cicatrices vultum posteà deformarent:
duerte quæso, Domine mi, ait optimus senex, à
Deo profectum, vt hic mihi lapsus accideret, at-
ue in hoc tempus ab æterno præuisum, proin si
ulnera nouis sint vulneribus curanda, perge sis,
audacter seca, nullâ vultus futuri ductâ ratione,
Dei modò voluntas ius suum obtineat, cui vt fiat
atis, nec oris decoro nec rei cuipiam parcen-
um.

Trahebat interea Ciues amor, & reuerentia
anti Patris; confluebatur ab iis in eius cubiculum,
diripie

diripiebantur quæcunque illic erant, nec abstinebatur à scriptis illius, quorum tunc multa partim ascetica, partim subtiliùs disputata posteris perierunt, conscissa nimirum ab adeuntibus, suam inde partem vnoquoque sibi vendicante, & in absentes diuidente; Tollebantur medicorum è manibus detracti vulneribus panni, sæpe illuc suum specie iungendæ Chirurgis operæ medicum Præses allegauit, ipseque adeò per sese iunxit, re autem vera quo fascias amoto vulnerario apparatu subtraheret, ægro ad alia respectante. Quibus non patebat in Collegium ingressus fœminæ sudariola, pallasque lineas tingenda sanguine Medicis tradebant, ex quibus Martha Zimara Fragagnanensis Baro, & Catharina Aquauiua Dux Nucensis strophiola duo cruore madida receperunt, alij cruorem à fratre ægrorum custode ampullis conditum vitreis, quarum vna in Lupiensi Collegio syncerum, & liquidum sanguinem vsque hodie monstrabat, Alteram in eâdem vrbe conseruabat Ioannes Laurentius Semensius; Tertiam Benedictus Bissolius nobilis Florentinus; Quartam Lucretia Petrasola item Lupiensis, cuius extat insignis in id Collegium beneficentia. Porrò hanc scriniolo inclusam post quinquennium recognoscens nihil immutatam mirata est, sed multò magis exeunte anno fluentis æuj quinto & decimo & adhuc superstite Bernardino, cum rubicundum, liquentem, odoratum sanguinem comperit, tribus veluti ferueret, innatantibus ei bullis, ad cuius nouitatem gynæcæum imprimis domesticum concurrit, deinde Neapoli (vbi contigerat) vulgata, plurimos exciuit ad videndum, demùm etiamnum pro mi-
racul

ulo ſpectabatur non à vulgo ſolùm ſed etiam à
edicis, nam ſpirabat ex vitro perpetua gratiſſi-
odoris fragrantia, quæ in Paſcha, Natali & ce-
rioribus per annum feſtis manifeſtè ad ſenſum
gebatur.
Erat hoc tempore Bernardinus octogenario
n minor & tàm copioſâ deperditi ſanguinis ia-
râ ita exhauſtus & debilis, vt nec efferre do-
pedem, ſed nec è cubiculo in quo ægrotarat
nceps poſſet, niſi ad continens illi ſacrarium,
Templum, quò interdum confeſſionum causâ
epebat, & ſacri, quoad valuit faciendi; hac
ilominus imbecillitate ſtatas preces de geni-
is obibat; frequens erat in morte meditanda,
nque illi nimia iam ætas horarum penſum ca-
nicum, & rei diuinæ celebrationem abſtuliſ-
multas Virgini Matri offerebat precatorias co-
as & penè quotidie ad ſacram Synaxim acce-
bat eo cultu, ac religione, vt multi ad hoc ſo-
n ventitarent, quò eius aſpectu fruerentur; pe-
iari tamen guſtu corpus Chriſti ſumebat cum
iutoribus laicis, quorum ipſe vni ad ſui curam
ignato morem gerebat in omnibus raro obe-
ntiæ exemplo, vocabatque Angelum ſuum
telarem, iis duntaxat contentus quæ ille porri-
et, nec vnquam præterea, aut cibi, aut veſtium
quid requirens; Annos denique octoginta tres
us flagellis in ſe pergebat ſæuire, quorum
um, vt erat attritum ad ſe Neapolim Prouincia-
mitti poſtulauit.
Iam is quem dixi valetudinis eius cuſtos ab eo
rtulas inſcribendas curabat per quas ægrotis
tularetur, & hæc erat earum formula. [IESVS,
&

& MARIA, nobiſcum adſint;his tertiò dictis bene futurum eſt N. N. (ægroto ſcilicet nominato)Bernardinus Realinus.] Has cum accepiſſent quatuor ægroti ſyngraphas valuerunt; Ex tribus Patribus, qui Lupiis in Collegio decumbebant; ſimilesque ex eo petierant, duos reſtituere ſanitati; Tertius obiit,cui, mirum dictu! nunquam potuit ſyngrapham exarare, nam calamum ſumenti deficiebat omnino viſus,experientique identidem; nunquam facultas fuerat conſcribendæ. Iacturam vtilium capitum ad ingentem Dei ex multorum ſalute gloriam deflebat amariſſimis lacrymis; mortem Henrici Magni proſecutus eſt luctu plurimorum dierum,itemque obitum Claudij Aquauiuæ Societatis Præpoſiti;Mittebant ad illum paruos liberos Lupienſes,vt iis priùs quàm vita excederet bene precaretur. Optauit Cæſar Dux Mutinenſis precationem ab eo componi,quam ad impetrandam ſuorum optimam gubernationem recitaturus eſſet; hanc prudens, veruſque Dei ſeruus ex duabus in Eccleſia vſitatis in hunc modum concinnauit. *Deus à quo bona cuncta procedunt; largire quæſumus ſupplicanti mihi ſeruo tuo licèt indigniſſimo,vt ſemper cogitem te inſpirante quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciam fideleſque tui,quos mihi in viam pacis; & iuſtitiæ dirigendos benignè commiſiſti,id ament quod præcipis; id deſiderent quod promittis,vt inter mundanas varietates, ad laudem & gloriam Sanctiſſimi nominis tui, ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia Per Dominum, &c.* Quam orationem Dux ſingulis diebus deinde adhibuit ac poſt illum Parmenſis Ranucius Farneſius;

Tot procul ex locis eius reliquiæ poſcebantur
vt ſatisfieri omnibus eſſet difficile, ac hiſce vlti-
mis vitæ annis ægrè Virginis Coronam vltra vnũ
diem retineret, cogereturque ſocius anni exordio
grandem earum ex vili materia numerum, eiuſ-
demque formæ reponere (quo ſenilem manum &
oculos ſimilitudine falleret) ac certatim pro ma-
gno theſauro ambientibus donare; idemque ferè
quoad zonas, pileolos, & iis ſimilia vſu venie-
bat, mutabantur enim penè quotidie, ne repulsâ
offenderetur petentium pietas, inter quos erant
Prælati ac Principes, nedùm nobiles vulgo, & ple-
beij. Sex verò ſupremis quos vixit annis in ex-
primendo coloribus eius vultu varij pictores fue-
re non parùm occupati, cum in vrbe ac foris enixè
à multis eius imago deſideraretur, ſed erat callidè,
ac furtiuò opere ducenda, ne quà id poſſet ani-
maduertere: Hæc ergo via inita eſt:

Ad latus iacentis appenſa eſt tabula referens
Alphonſum Salmeronem, quòd pro ſuo in illum
animo (vt à quo fuerat adſcriptus in Societatem)
ei gratiſſimum accidit: poſt non multum tempus
adductus eſt pictor cum aliquot Patribus ægrotum
rogans, vt per eum ſibi fieret poteſtas ex ea tabu-
la exemplum ſumere, quò etiã vltrò annuente Ber-
nardinum pictor pro Salmerone fecit, ſubtractúm-
que mox, ne obſeruaretur, opus Domum tulit alia
inde ducturus apographa.

Minùs cautè alius non multum diſſimili euen-
tui venit tanquam ab hera Gambateſia Comite
ſalutem ferens, eiúſque filiam, vt fingebat ægram
patris orationibus commendans, re tamen vera
tempus captans explorandi per colloquium otio-
ſiùs.

ſiùs eius vultus ; at enim ſubridens bonus ſenex; negare Dominam Comitem ſuis precibus egere, cum bellè haberet ipſius filia : inſtare pictor, ne ſe mendacem fateretur, & heram Comitem filiæ laboranti preces eius optare : qui tandem, faciam; & Deum, inquit, pro illa precabor, tametſi nunc valetudine ſit bona; ſecutus eſt pictor de aliis fabulari, oriſque interim, arbitratu ſuo lineamenta omnia notauit; alij alias pari conſilio vſurparunt artes, ex quo factum eſt vt multæ eiuſdem non ſatis eædem ſpectentur imagines. At paulò priùs quàm animam efflaret; adfuit complurium nomine, qui eius ſpeciem, qualis ea tunc erat penicillo exciperet, fecitque ſolerter, cunctis qui cubiculum arctabant cernentibus, Patris, ſi fortè oculos quos tenebat clauſos aperiret; aſpectu cautè deuitato; Iamque aliud reſtabat nihil præter oculos pingendum, cum pictor apud ſe: O ſi tãtiſper attollat palpebras; ne imperfectum opus hinc abeat : Atque en tibi, eo ipſo momento oculos aperit commodátque pictori ad vſque vltimum penicilli ductum, poſt quem illos denuò occludit. Hîc verò claræ, vt hactenus vidimus de ſanctimonia Bernardini Lupienſium opinioni ne deeſſet tunc vrbis Syndicus Sigiſmundus Riparius; vocatis in conſilium Ciuibus, orationem ad illos habuit, quam hîc è Tabulario publico Latinè deſcripſimus: Cum Patrem Bernardinum Realinum, Societatis IESV Sacerdotem Theologum plus annis 40. noſtræ huic Vrbi ſingulari beneficentiâ commodarit Deus, atque illam variis ſanctitatis eius documentis ornauerit, beneficiorum perpetuâ notaque ſerie per illum fouerit, foueatque

in dies etiamnum adiuncto prophetiæ tam crebrò afflatu, ac miraculorũ editione tam frequenti, vt nemo ſit non hac modò in vrbe, aut agro, ſed nec ferè in hac prouinciâ, multiſque regni & longinquarum prouinciarum locis, quin poſſit expertus confirmare aliquam ſibi ex iis gratiam à Dei famulo cælitus impetratam. Ne tot igitur dona, miracula, & vaticinia, obitu teſtium fiant in poſterum probatu difficiliora, & ſpei fructu excidamus, quo Patrem confidimus à Deo poſt mortem gloriosè ornandum, futurúmque in cœlo Ciuitatis noſtræ tutelarem vti ſuis illam hactenus meritis, & apud Deum precibus defendit, è re communi videtur fore, ſi publicè, atque legitimè ab Illuſtriſſimo Antiſtite poſtulemus, vt nobis facultas permittatur conquirendi teſtes, & iuratos audiendi, aſſeruandique bonâ mente in futuras opportunitates ab ipſis pro teſtimonio narrata, ad perpetuam rei memoriam, imò in ordine ad Canonizationem, ſi Deus voluerit eum inter Sanctos poſt mortem conſcribi. Ad hæc idem Prælatos, & Ordinarios vbiuis gentium rogare, vbi haberi teſtes poſſent. Ad extremum quoque ſi opus foret, à S. D. N. Paulo V. eamdem gratiam votis ſupplicibus petere: Quæ cum retuliſſet, fuit omnium vna vox, cuncta hæc ſigillatim præſtanda nec habendam in iis vllam ſumptuum rationem, quod ne fruſtra decretum videretur, non prius conſilium ſoluêre quàm lectis ab ſe quatuor viris omnem ad promouendum negotium autoritatem tribuerent; tanta erat apud Lupienſes, & tam præſtans Bernardini exiſtimatio.

CAPVT XIV.

De Morte Bernardini.

INgrauescente morbo,& imminentem iam exitum minante Sacramentis Ecclesiæ ritè munitus est, Confessione, Viatico, Extrema-vnctione, ac sparso per vrbem de proximo illius decessu nuntio, concursum est à frequentissimo populo in Collegium ad videndum (quod ipsi dictitabant) quomodo Sancti morerentur; flectebantur ab accedentibus genua ante lectulum ægroti, manibus oscula figebantur; admouebantur allati domo pilei, rosaria, coronæ & id genus talia, ex illo vt aiebant contactu vi sacra imbuenda; ob quod etiã inserebantur digitis annuli, tranquillo interea Patre nec vllum præbente laboris indicium; apportabantur pueri & infantes vt in patrocinium viri Dei maturè traderentur, & iubebantur à parentibus attentè illum contueri, meminisséque postea se hominem sanctum coràm spectasse morientem. Matronæ collectas per vicina, Dei Matris coronas dabant ingressuris, quasi iacentis lecto imponerent, qui prope continuò iis opertus cernebatur: Solæ Moniales iis confertas mappas eò destinarunt, quibus piè seruatis, cum ferret necessitatis occasio, deinde vterentur. Visit inter cæteros Bernardinum Ioannes Vincentius Segnensis Episcopus, qui tùm Lupiis erat, datóque manibus osculo, illius preces expetiit. Visit & Syndicus Vrbanus cum Magistratibus aliquot, positisque genibus

genibus sic illum affatus est. Magnum planè nobis (Dilectissim e Parens noster) discessus tuus inurit dolorem: Nihil foret nobis optatius, quàm te adiutorem, & consolatorem nobiscum perpetuò retinere, sed quando te Deus ad palmam reuocat, tuæ apud eum nos gratiæ totamque hanc tibi tantopere charam, ac deuotam vrbem committimus, tuam te per illam charitatem rogamus Pater, ex qua tuam è cœlo defensionem nobis pollicemur, teque iam inde nunc legimus in Patronum, ne renue obsecro, nos in Clientes, & filios habere, nec te aliquando nostri obliuio capiat, quos discessu tuo afflictissimos relinquis. Ad hæc, Pater cum verba non posset, longum hilari ore suspirium reddidit, quod intimi ergà Ciuitatem argumentum amoris creditum est. Sic manus reuerenter deosculati vetuerunt quicquam à Patribus in funus parari, nam se de publico, & quàm posset magnificentissimum curaturos. Successere his alij Nobiles magnâ significatione pietatis, & obseruantiæ horumque nonnullis comparuere ex vultu moribundi emicantes lucidissimi radij, & suauis ex corpore adspirauit odor, qualis est violarum media æstate, qui multorum compertus deliberata experientiâ tantum creuit vt in vicinam porticum funderetur, spiraretque etiam post Patris obitum, & à multis Patribus sentiretur. In digressu Patres, Regij ministri monendos putarunt, vt aduersus Turbam concursuri ad exequias populi sibi prospicerent, suamque iis operam humanissimè detulerunt.

Die insequenti redit cum aliquot è Comitibus Syndicus idem quod pridie ex Patre flagitans, vt

ſibi addictiſſimam Ciuitatem ſuo ſemper patrocinio dignaretur, cui læta ſpecie ac leni capitis inclinatione oſtendit ſe Pater annuere. Augebatur inter hæc Ciuium pietas, eâque iam multitudine confluebant, vt cauendo turbarum periculo fuerint milites ad Collegij fores ſtatuendi. Dum hæc Lupiis geruntur hoc eſt Kalendis Iuliis, Tabernæ Calabriæ vrbe, in ſanatione infantis anniculi ſeruum ſuum illuſtrauit Deus. Fuit is Placidus, Ioannis Dominici Morrerij filius, hic morbo ſontico tertiùm correptus, extra ſpem vitæ putabatur, cum ſuperpoſitâ capiti coronâ precatoriâ Bernardini, eodem momento conualuit.

Cæterum qui metus ad Collegij ianuam confuſioni auertendæ cuſtodiam militum locarat, ſuſpicionem vrbi fecit fore vt corpus Bernardini eâdem ex causâ aſpectibus Ciuium clàm ſubmoueretur. Quamobrem Syndicus Collegis ſtipatus ſupplex ab Epiſcopo contendit, intercederet apud Patres, ne ſuauiſſimo viri Dei conſpectu poſt eius tranſitum Ciuitas priuaretur; ſe fixis repagulis & ſtatione militari inhibituros impetum populi, ne quid inde confuſionis oriretur; quibus Rectori Collegij nuntiatis, recepit ſe omnino acturum, ne quid fieret præter mentem ac ſtudium meritiſſimæ Ciuitatis. Epiſcopus graui pedum dolore nondum liber, quo ab acceſſu Bernardini antea præpediebatur, videre hunc tamen priuſquam obiret voluit: Venit cum Vicario, multiſque de Clero comitibus, vidit, amplexus eſt paternâ plane teneritudine, ac tum reſectæ in reliquias iacenti ſtragulæ, ac linteamina & cupiditate incredibili quæſitæ à cunctis qui aderant ip-

ſius

ſius reculæ, vt maior non poſſet pij animi ſenſus & reuerentiæ exhiberi ſanctis iam corpore ſolutis, & ſolenni honore ab Eccleſia decoratis.

Quæ nox ſuprema Bernardino fuit eâ eſt accitus ex Collegio Pater ad audiendam fœminam proiecti pudoris ac dum illam ad mortem, & deteſtationem ſcelerum diſponit, mentionem quoque fieri contigit Bernardini animam exhalantis, ad quam vocem infelix, nomenque Bernardini tota in lacrymas diſſolui, & Dei miſericordiam gemitu ac ſuſpiriis implorare, quo euentu gratulabundus Pater in Collegium reuertitur, & bonitatis Diuinæ erga miſerabilem fœminam profuſas diuitias mirantibus exponit.

Horâ verò vnâ quam viuendi finem vir Dei faceret, Ioanni Thomæ Sartorio Tabellioni Lupienſi, nocte quidem in lecto, ſed apertis oculis vigilanti pictura comparuit Dei Matrem viridi in veſte filium gerentem referens & Bernardinum oſculo dignantem, arctéque complexam, quem ei ad dexteram Sanctus Ignatius prouolutum in genua offerebat, qua ſpecie (plurimum admirans) portendi credidit à Matre Virgine Clientem fidiſſimum eâ die cœlo exceptum iri; & verò illa ipſa die Iulij ſecunda Virginíque ob Sabbatum, & Elizabethæ Viſitationem dedicata viuendi finem fecit cum octoginta ſex retrò annis Conceptionis eius feſto, vitali ex aqua Chriſto viuere incepiſſet. Quam illi ſortem cum gratularetur quidam ex Patribus, magna vi has voces poſtremas formauit: O Domina mea Sanctiſſima. Tantus verò tunc denuò recurrit multitudinis confluxus, vt reſtituendi fuerint milites, qui morientis cellam à

turba defenderent, occludendæque præterea Templi & collegij fores, ne quid grauioris incommodi ex ea nasceretur. Hic autem vicinos circum vicos tam densus oppleuit populus, vt per multas horas illàc transitus non pateret, vixque Syndicus cum vrbis Iudice, ac paucis comitibus vi sibi aditum in Collegium fecerint, vbi Ciuitatis ipsius nomine supremum Patris halitum legerent; horum vni dolore capitis acutissimo laboranti, & magno conatu in cubiculum ingresso spectatoribus refertum, cessauit penitus omnis dolor, & animaduersum in eo conclaui visentibus stipato, ac Iulio mense, ne muscam quidem fuisse conspectam, licet magno numero foris essent, ac suauem illum è corpore, odoris afflatum rebus quoque admotis adhæsisse, quarum in nonnullis vsque hodie perdurabat. Recitatum est à cunctis clara voce fidei symbolum quam interim moriens accenso cereo tenere se viuam testabatur, ac dum ex Euangelio Ioannis, Christi Patientis historia legitur, defixis in cœlum oculis, ore lucenti ac splendido, placidissimè in Domino quieuit, anno sæculi nostri sexto & decimo, ætatis octogesimo sexto, quinquagesimo altero ab Societate inita, & Lupiensis habitationis quadragesimo secundo, sub horam diei salutatæ Elizabethæ vigesimam. Ortus est omnium qui aderant fletus, tam rari, tam publicè vtilis, tanti viri, & exempli iacturâ. Et fuit qui audita morte, de se quoque actum exclamarit, quod, sibi periculosè, & crebro ægrotanti prædixisset Vir Dei, ne metue Octaui, erat hoc illi nomen, præibo in cœlum, sequére tu postea, quo vaticinio confisus, licet desperaretur à medicis,

cis, & instrui sibi exequias cerneret, nunquam tamen fuisse de morte sollicitum, nunc illo è viuis sublato, quid possum deinceps inquiebat nisi certam illam, cum valetudo primum tentabitur, expectare; nec suus hominem fefellit timor, vt enim coniecerat paulò post euenit. Defuncto Patre, statim ab externis cubiculum paruâ supellectili spoliatum, repositaque est ab iis inter reliquias. Funebre signum quod edi consueuit, per horam dilatum est, dum muniuntur custodibus, & repagulis fores contra vim turbæ irruentis, quæ iam decumanæ Collegij ianuæ alteram partem emouerat; Vt autem triste quà ex Collegio, quà Templis omnibus insonuit, tùm verò fuit planè insolitus eius turbæ clamor, sed multò maiores fœminarum in Domibus ploratus, communis Parentis ac Tutelæ amissionem lugentium, porrò hanc mortem Dei seruo ne quis putet fuisse hactenus occultam, sequatur

---

CAPVT XV.

Quam pridem & quoties mortem suam Bernardinus prædixerit.

ADierant Patrem Bernardinum Marcus Antonius & Theofilus Zimarius Iunio mense, iiusque coram decumbente procidentibus in genea sanctè feliciterque precatus fuerat signatis cruce illorum frontibus, tum supremum hoc, inquit, futurum est quod in hac vita inuicem videmus, ac

 loquimur

loquimur, proinde hortor, veſtri curam imprimis geratis, ac veſtræ familiæ, illamque magna diligentiâ regatis, equidem ſpondeo fore vt nunquam hæc mihi excidat, ſed ſemper Domino enixè à me commendetur: Paulò verò priùs horum fratrum ex Domo afferri curarat, Theophili Zimarij ſenioris Tabellam, amiciſſimi quondam ſui, oſculatuſque illam & amplexus edixerat inſignem illum virum iam inter ſuperos degere, vbi ſe ſperabat fore illi propediem ſocium, licet tunc alium quàm ſenectutis morbum non ſentiret. Quod autem fuerit ea familia Bernardino in paucis cara, attingam obiter nonnulla quæ in illam narrantur ipſius merita. Aiunt enim illum Marco Antonio Zimario, de coniugio confirmaſſe quod eſſet cum Vrſula Fornaria iuncturus, & quanquam auerſis agnatorum conſiliis ita diſturbaretur negotium vt abdicatum omnino eſſet, ſtetiſſe tamen in prædicto Patrem, & aliquibus exinde annis prænuntiatum connubium felices exitus ſortitum. Numeratis idem Marcus Antonius ducatis aureis tredecim millibus, ſoluti fidem facere nequibat, quod fide nimis bona acceptilationem à creditore amico non tuliſſet; ergò pridie quàm eſſet ab Regio Conſiliario eius ſummæ damnandus, creditore ob exortas inimicitias acceptam pecuniam negãte, quiddam è lipſanis Bernardini ceruicali ſubiecit & ecce in ſomnis verba audit locum deſignantis vbi eſſent autoritatis pigneratitiæ literæ, quibus etſi nunquam id aduertiſſet de exſolutâ pecunia conſtaret; experrectus ad locum adiit, repertas Iudici literas protulit, cauſam vicit. Referebat de ſe Virgilia Zimaria Tertiana Sancti Benedicti

nedicti tumore faucium, quatuor post annis quàm esset à medico incisus, denuo tentatam, experiri ferrum denuò non ausam, sed Bernardini reliquias cum affectæ parti vespere appressisset, noctę insequenti integrè sanatam. At de mortis futuræ vaticiniis pergamus. Martiæ Zimariæ mense Iunio valedicens ampullam misit liquoris Sancti Nicolai cum Imaguncula Sancti Bernardini sua manu his verbis subscripta IESVS, MARIA. Zimariæ mittit senex Bernardinus Realinus.

Eius sedem antrorsum cingendam peribolo socius dederat ne iterum cum vitæ periculo ex ea caderet, & absque sacramentis inopino lapsu interiret: laudauit Pater socij charitatem, & diligentiam, sed timendum de cætero negauit, sibi enim absque dubio constare non defutura antę obitum Sacramenta. Paucis verò quàm obiret diebus Camillam Pucciam salutauit, ferri ad illam iubens de manna Sancti Nicolai; ad alias verò quas erat confitentes audire solitus, pia munuscula etsi à nemine quæsita, vt qui sibi nosset mortem proximè imminere. Quare vigesimo ante illam die, quamuis improuisò, febre acutissimâ ardentem, paucas vltra horas non censerent fore Medici vitalem, visus est contrarium sentire, ac festinantibus sacratum oleum Patribus vtque id rogaret variè insinuantibus, ad eorum quidem arbitrium reiecit, nunquam verò petere voluit, quod, vt postridie multis præteritum discrimen, metumque narrantibus professus est, nullo modo putaret se tunc moriturum. At verò pridie Kalendas Iulias cum febris reuixisset, interrogatus de parando per Sacramenta Ecclesiæ, discessu, & ver-

ſiùs eius vultus; at enim ſubridens bonus ſenex; negare Dominam Comitem ſuis precibus egere, cum bellè haberet ipſius filia: inſtare pictor, ne ſe mendacem fateretur; & heram Comitem filiæ laboranti preces eius optare: qui tandem, faciam; & Deum, inquit, pro illa precabor, tametſi nunc valetudine ſit bona; ſecutus eſt pictor de aliis fabulari, oriſque interim, arbitratu ſuo lineamenta omnia notauit; alij alias pari conſilio vſurparunt artes, ex quo factum eſt vt multæ eiuſdem non ſatis eædem ſpectentur imagines. At paulò priùs quàm animam efflaret; adfuit compluriuni nomine, qui eius ſpeciem, qualis ea tunc erat penicillo exciperet, fecitque ſolerter, cunctis qui cubiculum arctabant cernentibus, Patris, ſi fortè oculos quos tenebat clauſos aperiret; aſpectu cautè deuitato; Iamque aliud reſtabat nihil præter óculos pingendum, cum pictor apud ſe: O ſi tātiſper attollat palpebras; ne imperfectum opus hinc abeat: Atque en tibi, eo ipſo momento oculos aperit commodátque pictori ad vſquè vltimum penicilli ductum, poſt quem illos denuò occludit. Hîc verò claræ, vt hactenus vidimus de ſanctimonia Bernardini Lupienſium opinioni ne deeſſet tunc vrbis Syndicus Sigiſmundus Riparius; vocatis in conſilium Ciuibus, orationem ad illos habuit, quam hîc è Tabulario publico Latinè deſcriſimus: Cum Patrem Bernardinum Realinum, Societatis IESV Sacerdotem Theologum plus annis 40. noſtræ huic Vrbi ſingulari beneficentiâ commodarit Deus, atque illam variis ſanctitatis eius documentis ornauerit, beneficiorum perpetuâ notaque ſerie per illum fouerit, foueatque

in

dies etiamnum adiuncto prophetiæ tam crebrò
flatu, ac miraculorũ editione tam frequenti, vt
emo sit non hac modò in vrbe, aut agro, sed
ec ferè in hac prouinciâ, multísque regni & lon-
nquarum prouinciarum locis, quin possit exper-
s confirmare aliquam sibi ex iis gratiam à Dei
mulo cælitus impetratam. Ne tot igitur dona,
iracula, & vaticinia, obitu testium fiant in po-
erum probatu difficiliora, & spei fructu excida-
us, quo Patrem confidimus à Deo post mortem
oriosè ornandum, futurúmque in cœlo Ciuitatis
ostræ tutelarem vti suis illam hactenus meritis,
apud Deum precibus defendit, è re communi
detur fore, si publicè, atque legitimè ab Illu-
rissimo Antistite postulemus, vt nobis facultas
ermittatur conquirendi testes, & iuratos audien-
, asseruandique bonâ mente in futuras opportu-
tates ab ipsis pro testimonio narrata, ad perpe-
am rei memoriam, imò in ordine ad Canoniza-
onem, si Deus voluerit eum inter Sanctos post
ortem conscribi. Ad hæc idem Prælatos, & Or-
inarios vbiuis gentium rogare, vbi haberi testes
ossent. Ad extremum quoque si opus foret, à
D. N. Paulo V. eamdem gratiam votis suppli-
bus petere: Quæ cum retulisset, fuit omnium
na vox, cuncta hæc sigillatim præstanda nec ha-
endam in iis vllam sumptuum rationem, quod
frustra decretum videretur, non priùs consi-
um soluêre quàm lectis ab se quatuor viris om-
em ad promouendum negotium autoritatem tri-
uerent; tanta erat apud Lupienses, & tam præ-
ans Bernardini existimatio.

CAPVT XIV.

De Morte Bernardini.

INgrauescente morbo, & imminentem iam exitum minante Sacramentis Ecclesiæ ritè munitus est, Confessione, Viatico, Extrema-vnctione, ac sparso per vrbem de proximo illius decessu nuntio, concursum est à frequentissimo populo in Collegium ad videndum (quod ipsi dictitabant) quomodo Sancti morerentur; flectebantur ab accedentibus genua ante lectulum ægroti, manibus oscula figebantur; admouebantur allati domo pilei, rosaria, coronæ & id genus talia, ex illo vt aiebant contactu vi sacra imbuenda; ob quod etiã inserebantur digitis annuli, tranquillo interea Patre nec vllum præbente laboris indicium; apportabantur pueri & infantes vt in patrocinium viri Dei maturè traderentur, & iubebantur à parentibus attentè illum contueri, meminisséque postea se hominem sanctum coràm spectasse morientem. Matronæ collectas per vicina, Dei Matris coronas dabant ingressuris, quas iacentis lecto imponerent, qui prope continuò iis opertus cernebatur: Solæ Moniales iis confertas mappas eò destinarunt, quibus piè seruatis, cum ferret necessitatis occasio, deinde vterentur. Visit inter cæteros Bernardinum Ioannes Vincentius Segnensis Episcopus, qui tùm Lupiis erat, datóque manibus osculo, illius preces expetiit. Visit & Syndicus Vrbanus cum Magistratibus aliquot, positisque genibus

genibus ſic illum affatus eſt. Magnum planè nobis (Dilectiſſime Parens noſter) diſceſſus tuus inurit dolorem: Nihil foret nobis optatius, quàm te adiutorem, & conſolatorem nobiſcum perpetuò retinere, ſed quando te Deus ad palmam reuocat, tuæ apud eum nos gratiæ totamque hanc tibi tantopere charam, ac deuotam vrbem committimus, tuam te per illam charitatem rogamus Pater, ex qua tuam è cœlo defenſionem nobis pollicemur, teque iam inde nunc legimus in Patronum, ne renue obſecro, nos in Clientes, & filios habere, nec te aliquando noſtri obliuio capiat, quos diſceſſu tuo afflictiſſimos relinquis. Ad hæc, Pater cum verba non poſſet, longum hilari ore ſuſpirium reddidit, quod intimi ergà Ciuitatem argumentum amoris creditum eſt. Sic manus reuerenter deoſculati vetuerunt quicquam à Patribus in funus parari, nam ſe de publico, & quàm poſſet magnificentiſſimum curaturos. Succeſſere his alij Nobiles magnâ ſignificatione pietatis, & obſeruantiæ horumque nonnullis comparuere ex vultu moribundi emicantes lucidiſſimi radij, & ſuauis ex corpore adſpirauit odor, qualis eſt violarum media æſtate, qui multorum compertus deliberata experientiâ tantum creuit vt in vicinam porticum funderetur, ſpiraretque etiam poſt Patris obitum, & à multis Patribus ſentiretur. In digreſſu Patres, Regij miniſtri monendos putarunt, vt aduerſus Turbam concurſuri ad exequias populi ſibi proſpicerent, ſuamque iis operam humaniſſimè detulerunt.

Die inſequenti redit cum aliquot è Comitibus Syndicus idem quod pridie ex Patre flagitans, vt

ſibi addictiſſimam Ciuitatem ſuo ſemper patrocinio dignaretur, cui læta ſpecie ac leni capitis inclinatione oſtendit ſe Pater annuere. Augebatur inter hæc Ciuium pietas, eâque iam multitudine confluebant, vt cauendo turbarum periculo fuerint milites ad Collegij fores ſtatuendi. Dum hæc Lupiis geruntur hoc eſt Kalendis Iuliis, Tabernæ Calabriæ vrbe, in ſanatione infantis anniculi ſeruum ſuum illuſtrauit Deus. Fuit is Placidus, Ioannis Dominici Morrerij filius, hic morbo ſontico tertiùm correptus, extra ſpem vitæ putabatur, cum ſuperpoſitâ capiti coronâ precatoriâ Bernardini, eodem momento conualuit.

Cæterum qui metus ad Collegij ianuam confuſioni auertendæ cuſtodiam militum locarat, ſuſpicionem vrbi fecit fore vt corpus Bernardini eâdem ex causâ aſpectibus Ciuium clàm ſubmoueretur. Quamobrem Syndicus Collegis ſtipatus ſupplex ab Epiſcopo contendit, intercederet apud Patres, ne ſuauiſſimo viri Dei conſpectu poſt eius tranſitum Ciuitas priuaretur; ſe fixis repagulis & ſtatione militari inhibituros impetum populi, ne quid inde confuſionis oriretur; quibus Rectori Collegij nuntiatis, recepit ſe omnino acturum, ne quid fieret præter mentem ac ſtudium meritiſſimæ Ciuitatis. Epiſcopus graui pedum dolore nondum liber, quo ab acceſſu Bernardini antea præpediebatur, videre hunc tamen priuſquam obiret voluit: Venit cum Vicario, multiſque de Clero comitibus, vidit, amplexus eſt paternâ plane teneritudine, ac tum reſectæ in reliquias iacenti ſtragulæ, ac linteamina & cupiditate incredibili quæſitæ à cunctis qui aderant ipſius

ſius reculæ, vt maior non poſſet pij animi ſenſus & reuerentiæ exhiberi ſanctis iam corpore ſolutis, & ſolenni honore ab Eccleſia decoratis.

Quæ nox ſuprema Bernardino fuit eâ eſt accitus ex Collegio Pater ad audiendam fœminam proiecti pudoris ac dum illam ad mortem, & deteſtationem ſcelerum diſponit, mentionem quoque fieri contigit Bernardini animam exhalantis, ad quam vocem infelix, nomenque Bernardini tota in lacrymas diſſolui, & Dei miſericordiam gemitu ac ſuſpiriis implorare, quo euentu gratulabundus Pater in Collegium reuertitur, & bonitatis Diuinæ erga miſerabilem fœminam profuſas diuitias mirantibus exponit.

Horâ verò vnâ quam viuendi finem vir Dei faceret, Ioanni Thomæ Sartorio Tabellioni Lupienſi, nocte quidem in lecto, ſed apertis oculis vigilanti pictura comparuit Dei Matrem viridi in veſte filium gerentem referens & Bernardinum oſculo dignantem, arctéque complexam, quem ei ad dexteram Sanctus Ignatius prouolutum in genua offerebat, qua ſpecie (plurimum admirans) portendi credidit à Matre Virgine Clientem fidiſſimum eâ die cœlo exceptum iri; & verò illa ipſa die Iulij ſecunda Virginíque ob Sabbatum, & Elizabethæ Viſitationem dedicata viuendi finem fecit cum octoginta ſex retrò annis Conceptionis eius feſto, vitali ex aqua Chriſto viuere incepiſſet. Quam illi ſortem cum gratularetur quidam ex Patribus, magna vi has voces poſtremas formauit: O Domina mea Sanctiſſima. Tantus verò tunc denuò recurrit multitudinis confluxus, vt reſtituendi fuerint milites, qui morientis cellam à

turba defenderent, occludendæque præterea Templi & collegij fores, ne quid grauioris incommodi ex ea nasceretur. Hic autem vicinos circum vicos tam densus oppleuit populus, vt per multas horas illàc transitus non pateret, vixque Syndicus cum vrbis Iudice, ac paucis comitibus vi sibi aditum in Collegium fecerint, vbi Ciuitatis ipsius nomine supremum Patris halitum legerent; horum vni dolore capitis acutissimo laboranti, & magno conatu in cubiculum ingresso spectatoribus refertum, cessauit penitus omnis dolor, & animaduersum in eo conclaui visentibus stipato, ac Iulio mense, ne muscam quidem fuisse conspectam, licet magno numero foris essent, ac suauem illum è corpore, odoris afflatum rebus quoque admotis adhæsisse, quarum in nonnullis vsque hodie perdurabat. Recitatum est à cunctis clara voce fidei symbolum quam interim moriens accenso cereo, tenere se viuam testabatur, ac dum ex Euangelio Ioannis, Christi Patientis historia legitur, defixis in cœlum oculis, ore lucenti ac splendido, placidissimè in Domino quieuit, anno sæculi nostri sexto & decimo, ætatis octogesimo sexto, quinquagesimo altero ab Societate inita, & Lupiensis habitationis quadragesimo secundo, sub horam diei salutatæ Elizabethæ vigesimam. Ortus est omnium qui aderant fletus, tam rari, tam publicè vtilis, tanti viri, & exempli iacturâ. Et fuit qui audita morte, de se quoque actum exclamarit, quod, sibi periculosè, & crebro ægrotanti prædixisset Vir Dei, ne metue Octaui, erat hoc illi nomen, præibo in cœlum, sequére tu postea, quo vaticinio confisus, licet desperaretur à medi-
cis,

cis, & instrui sibi exequias cerneret, nunquam tamen fuisse de morte sollicitum, nunc illo è viuis sublato, quid possum deinceps inquiebat nisi certam illam, cum valetudo primum tentabitur, expectare; nec suus hominem fefellit timor, vt enim coniecerat paulò post euenit. Defuncto Patre, statim ab externis cubiculum paruâ supellectili spoliatum, repositaque est ab iis inter reliquias. Funebre signum quod edi consueuit, per horam dilatum est, dum muniuntur custodibus, & repagulis fores contra vim turbæ irruentis, quæ iam decumanæ Collegij ianuæ alteram partem emouerat; Vt autem triste quà ex Collegio, quà Templis omnibus insonuit, tùm verò fuit planè insolitus eius turbæ clamor, sed multò maiores fœminarum in Domibus ploratus, communis Parentis ac Tutelæ amissionem lugentium, porrò hanc mortem Dei seruo ne quis putet fuisse hactenus occultam, sequatur

---

CAPVT XV.

Quam pridem & quoties mortem suam Bernardinus prædixerit.

ADierant Patrem Bernardinum Marcus Antonius & Theofilus Zimarius Iunio mense, iisque coram decumbente procidentibus in genea sanctè feliciterque precatus fuerat signatis cruce illorum frontibus, tum supremum hoc, inquit, futurum est quod in hac vita inuicem videmus, ac

loquimur, proinde hortor, vestri curam imprimis geratis, ac vestræ familiæ, illamque magna diligentiâ regatis, equidem spondeo fore vt nunquam hæc mihi excidat, sed semper Domino enixè à me commendetur: Paulò verò priùs horum fratrum ex Domo afferri curarat, Theophili Zimarij senioris Tabellam, amicissimi quondam sui, osculatusque illam & amplexus edixerat insignem illum virum iam inter superos degere, vbi se sperabat fore illi propediem socium, licet tunc alium quàm senectutis morbum non sentiret. Quod autem fuerit ea familia Bernardino in paucis cara, attingam obiter nonnulla quæ in illam narrantur ipsius merita. Aiunt enim illum Marco Antonio Zimario, de coniugio confirmasse quod esset cum Vrsula Fornaria iuncturus, & quanquam auersis agnatorum consiliis ita disturbaretur negotium vt abdicatum omnino esset, stetisse tamen in prædicto Patrem, & aliquibus exinde annis prænuntiatum connubium felices exitus sortitum. Numeratis idem Marcus Antonius ducatis aureis tredecim millibus, soluti fidem facere nequibat, quod fide nimis bona acceptilationem à creditore amico non tulisset; ergò pridie quàm esset ab Regio Consiliario eius summæ damnandus, creditore ob exortas inimicitias acceptam pecuniam negãte, quiddam è lipsanis Bernardini ceruicali subiecit & ecce in somnis verba audit locum designantis vbi essent autoritatis pigneratitiæ literæ, quibus etsi nunquam id aduertisset de exsolutâ pecunia constaret; experrectus ad locum adiit, repertas Iudici literas protulit, causam vicit. Referebat de se Virgilia Zimaria Tertiana Sancti Benedicti

nedicti tumore faucium, quatuor post annis quàm esset à medico incisus, denuo tentatam, experiri ferrum denuò non ausam, sed Bernardini reliquias cum affectæ parti vespere appressisset, noctę insequenti integrè sanatam. At de mortis futuræ vaticiniis pergamus. Martiæ Zimariæ mensę Iunio valedicens ampullam misit liquoris Sancti Nicolai cum Imaguncula Sancti Bernardini sua manu his verbis subscripta IESVS, MARIA. Zimariæ mittit senex Bernardinus Realinus.

Eius sedem antrorsum cingendam peribolo socius dederat ne iterum cum vitæ periculo ex ea caderet, & absque sacramentis inopino lapsu interiret: laudauit Pater socij charitatem, & diligentiam, sed timendum de cætero negauit, sibi enim absque dubio constare non defutura antę obitum Sacramenta. Paucis verò quàm obiret diebus Camillam Pucciam salutauit, ferri ad illam iubens de manna Sancti Nicolai; ad alias verò quas erat confitentes audire solitus, pia munuscula etsi à nemine quæsita, vt qui sibi nosset mortem proximè imminere. Quare vigesimo ante illam die, quamuis improuisò, febre acutissimâ ardentem, paucas vltra horas non censerent fore Medici vitalem, visus est contrarium sentire, ac festinantibus sacratum oleum Patribus vtque id rogaret variè insinuantibus, ad eorum quidem arbitrium reiecit, nunquam verò petere voluit, quod, vt postridie multis præteritum discrimen, metumque narrantibus professus est, nullo modo putaret se tunc moriturum. At verò pridie Kalendas Iulias cum febris reuixisset, interrogatus de parando per Sacramenta Ecclesiæ, discessu, & ver-

bis & nutu capitis ea se petere demonstrauit. Februario autem, Francisco Maralliolio regularium Clericorum Laico adiutori officiosè inuisenti, post quædam vt soliti erant, de rebus diuinis colloquia, dedit Pater lustralem cereum paulò ante acceptum Purificationi festo die; & hunc ait, fili, habeto, signum mei erga te synceri amoris, nunc enim postremum te alloquor, neque prætere a tibi aliud donare potero; excepit Franciscus dulce munus, neque postea illum vidit.

Conuenerat Bernardinum Pater Antonius Beatillus, dixeratque inter fabulandum, reuertentis anni principium adesse; certè subdidit Bernardinus, nouus rediit annus, nos verò abimus, & interrogante Beatillo, & quò tandem, vtrumne ad habendas per ieiunium maius conciones, an verò Lauretum, erat enim ipse vtrumque facturus, retulit Bernardinus, longè aliud ab se intelligi & profectionem in cœlum spectari; quando enim iam nouus reuertisset annus, se ab Deo vocari, séque ex hac vita discessurum. Sed tempus est quo excelsæ mentis humili sed potens ac pretiosum spolium sepulchro mandemus, de quo sit

CAPVT XVI.

Funus Viri Dei, & admiranda in eo edita.

OCcurrit hîc primum in Patrum oculos vetus patientiæ documentum, nam cadauer dum curant & vestiunt geminum se vlcus in lateribus

prodit

prodit ex diuturniore in eas partes decubitu natum, ſed ab ægrotante non modò abſque remedio, verum clàm & ſilentio toleratum; elato in ſacrarium corpore adfuit ſtatim multitudo ingens admouendis roſariis pietatem ſuam expletura; Ipſe Vrbis Syndicus eodem ſtudio cadaueri tibialia detraxit ſuæ in poſterum venerationi aſſeruanda. Hinc Templi ſacello eſt illatum, obuerſis ad clathra pedibus, ſed nudis, tùm vt votis oſculantium paterent, tum quod reuulſis à plebe ſemel & iterum crepidis, & tibialibus, bona veſtis, & ſacræ Albæ parte, non putabantur iam tegi poſſe: Vt autem in Templo comparuit, tanti mox clamores extitere, vt qui ad Aram ſtabant, intermittere tantiſper ſacrificium cogerentur; Quàm verò neceſſariò ad funebrem lectum cuſtodia militum excubaret vel inde coniicitur, quòd præter confuſam immenſamque turbam, nonnulli venerunt nouaculis inſtructi defuncto digitos, & carnes abſciſſuri: diem illam in Templo multi ieiunam exegere; conuenere ex villis, pagiſque innumerabiles ad ſacri depoſiti venerationem, ipſe duplici Clero comitatus cum ad exequias celebrandas proceſſiſſet Epiſcopus præ multitudine ac ſtrepitu non valuit, ſed pſalmo duntaxat, & reſponſorio, cum Vicario, & Sacerdotibus quinque decantato conticuit, Clero tamen ibidem vniuerſo, ac Magiſtratibus omnibus accenſas faces tenentibus ſingulari prorſus erga optimum Patrem reuerentiâ & amore, ſed cum illi non poſſet parentari celeberrimus è Carmelitarum familia verbi Dei præco, & Theologus Philocalus ad laudationem funebrem publicè deſignatus ſuggeſtum conſcendit, at

ne is quidem audiri potuit, partim miraculis quæ tùm edebantur non ſine acclamatione, partim plebis tumultu interpellantibus. Quidam interea ex Collegij Patribus valde ſenex, cum precatoria corona in Templum ingreſſus parùm abfuit, quin opprimeretur ab incurſantibus ratis illum coronam Bernardini ſuo cuipiam pœnitenti donandam portaſſe, nec tamen eam petentibus, & ipſo quid vellent ignorante, dùm vexatus, humìque deiectus, ſoluto denique coronæ funiculo, & iis ad relegendos globulos conuerſis, ereptus eſt. Syluester Cupertinus reformatæ obſeruationis Franciſcanus Albæ lineæ, ac veſtis reſectam portionem plebi per cancellos in fruſtula diuiſit, ac partem in Cœnobium detulit. Et hæc pia ſpectandi, venerandi, diripiendi cupiditas ad alteram tenuit noctis horam, qua, dilapſo tandem populi concurſu, reportatur in ſacrarium cadauer, vt noctu placidè, & honorificè conderetur; ſed Primariis feminis, quarum Vir Dei confeſſionibus præfuerat, negari non potuit, quin è veſtigio in Templum referretur, donec ipſæ multo cum gemitu, & lacrymis morem ſuæ geſſiſſent pietati. Manè itaque venerandum corpus à Collegij Patribus capſâ clauſum, non tamen Syndicus, & cæteri Vrbis Magiſtratus ſat tutum putarunt, niſi ſuâ quoque ſerâ, clauique alterâ munirent, clauimque illam ſecum aſportarent: Ita ergo humatum quieuit, dum à Ciuitate nouo & magnifico ſepulchro eſt conditum. Fuit Bernardinus ſtaturâ commodâ, ſed aliquantò altiore, proportione membrorum aptâ, colore candido, & grandi capite, rotundo vultu graui & alacri, forma ſatis amplâ, viuacibus oculis,

oculis, barba & capillis denſioribus, naturâ iracundiore, ſed ita edomitâ, vt carere bile videretur. Itaque duobus & quinquaginta annis quos traduxit in Societate, nũquã planè iræ notatus eſt, imò cùm eſſet temperiem igneam ac viuacem ſortitus, lentæ ac pituitoſæ putabatur.

Pingi ſolet cum cannâ, & precatoriâ coronâ, quo vtroque perpetuò vtebatur; appicta interdum Auguſta IESV & MARIÆ nomina cernuntur, quòd ea in ore, & animo nunquam non gereret; Interdum etiam Genius additur, quòd ſæpe Angeli cum ipſo agerent, multâque ex eo cuius erat tutelæ creditus, longinqua & futura cognoſceret. Vt verò in vita ſeruum ſuum Deus, ſic eâ exutum, priuſquam ſepulchro inferretur, multiplici rerum mirabilitate decorauit. Antonius enim Bareſius quindecim annorum puer, vt audiuit proſtare in Templo Viri Dei corpus, ſuis abſentibus magno vix labore illuc ſe contulit (dies enim complures valdè ægrotarat) certâ ſpe, illius oſculo, recuperandæ ſanitatis; multis precibus, & viri nobilis fauore intra cancellos denique admiſſus, & ab eo ad ſacri pignoris oſculum leuatus, dum oſculum dedit, ſimul vires recepit, valenſque ac vegetus ſe domum retulit.

Franciſcus Antonius Padaſſus Tabularius Lupienſis, feretro appropinquans odoris præſtantiâ hæſit attonitus beato ex corpore halantis, & decerptum ex veſte illius fruſtulum dedit Lucretiæ filiæ ex febri & pleuritide laboranti; hæc illud capiti & cordi, aliiſque affectis partibus cum applicuiſſet, punctionem ac febrim eo attactu omnino depulit: & quia Deus etiam animantes ſuâ

dignatur

dignatur benedictione, magni pretij equum idem Tabellarius cùm haberet multos dies humi exporrectum, & pabuli auersantem, iacturæ metu valde angebatur; At enim opera Bernardini experta in se Lucretia; vocato in subsidium familiæ tenuis, ipsius nomine, vestis frustulo etiam equum tangit, qui mox in pedes assurrexit pabulum, sumpsit, & valuit.

Iosepho Mezzano Lupiensi crus læuum interius, ex obstructo ante biennium cauterio; turgebat minaciter à medicis tandem post exhausta remedia destitutum: quo verò die Bernardinus ad Deum transiit, negotiorum causâ parumper domo compulsus egredi, reuersus in lectum se coniicit præ doloris acerbitate ac lassitudine vix spirans; sed allatâ sibi ab vxore Viri Dei coronâ; inclamatâque Patris Bernardini, quem pro Sancto haberet, ope ac nomine crus ægrum contingens, humorem sensit viditque ex eo, cute integrâ, transpirantem; miratus aduertit statim post, exoneratam, siccamque tibiam; pelle perinde carnibus cohærente ac si nihil vnquam intercessisset noxij humoris; Quare experiundi causâ tibiâ volens insistere & ingressum tentans, expeditum ac facilem comperit, testatusque est magnâ voce miraculum proclamans.

Significatâ solito æris sono Bernardini morte; ac prædicantibus vniuersis virum Sanctum obiisse, iniquè accepit communes hos plausus Antonia Quartaria in Visitationis Cœnobio Monialis; & quid hoc, inquit, Sancti? Sancti Dominicus, Franciscus, Benedictus: Benardinus haud quaquam, tametsi probus, nec defuere qui corriperent, temerè

impru

imprudentem;ſed in ſomnis vidit ſupplicationem eius honoribus inſtitutam, quod cum etiam dormiens indignè ferret, iteratiſque verbis prioribus, nec Beatum nec Sanctum, duntaxat vocandum occineret Bernardinum, videre viſa eſt extremo in agmine Sanctum Patrem, & ſic audire compellantem. Noſti me ſoror Antonia; quâ negante, ſum, ait Bernardinus, & ſcito, quod non ſum, paucis ab hinc annis me futurum; Quibus exterrita, & expergefacta erupit clamans. Ignoſce Beate, ô parce Sancte Pater Bernardine; & Deum pro me deprecare, atque illum exinde inter Præſides ſuos ſanctos religioſiſſimè coluit.

Irene Toſcania ſeptennis in extremis agebat, quo die vir Dei in cœlum abiit, ea derepente ad tactum coronæ contactu eius dedicatæ perfectè ſanata eſt. Nocte conſequenti Camilla Pandulfa virgo laudatæ probitatis vidit ſemiſomnis velut in Societatis IESV Templo, grandem ſolido ex auro thronum Pontificio ſimilem, inſidentemque illi Bernardinum in Societatis quidem veſte, at Solis inſtar, ex toto corpore, vultu præcipuè ſplendidiſſimos radios vibrantem, palmam verò dextrâ prætendentem, cumque nominatim virginem aduocaſſet, quaſi palmam illi porrecturus, totum ſpectaculum deſiiſſe. Doletuccius Calaber Barrenſis ordinarius Curſor à podagra peſſimè habebatur, is famâ excitus admirabilium, quas Bernardini corpus nondum ſepultum edebat rerum; ô, inquit, Sancte Pater Bernardine, qui viuens mecum toties locutus, toties humaniter egiſti, hos à me abige cruciatus, quibus tam acerbè afficior; eoque momento cum podagrâ dolor planè diſcuſſus eſt.

Margarita

Margarita Sætta Beati Francisci Tertiana ex staphilomate adnato, sinistri oculi vsum amiserat; nec audebat se Medico credere illud forcipulâ exscindere volenti. Profecta igitur ad funus Bernardini, post fusas ad illum pro valetudine ardenter preces, & pedum osculum, rediit, túmque familiares animaduerterunt oculum sanum esse, pedumque osculo staphiloma penitus dissipatum.

Prostans adhuc in Templo beatum corpus obseruatum est à nonnullis (Pomponio præsertim Guarino; & Francisco Antonio de Georgio viris nobilibus, & tunc funebris lecti custodibus) sudare guttulas odoratissimi liquoris; deterso Pomponius primo illo qui eruperat madore, miratur actutum tantumdem comparere, idque iterùm ac tertiò, exsiccatamque sudariis venerabilem faciem, in iis fragrantiam cum absterso humore relinquere, quæ diù tum in illis seruata est, tum in sarcophago ligneo; ex quo etiam efflare animaduersa est, cum tertio post mense in aliam capsam transferri corpus oportuit; Quâ item occasione Isabella Venturia cruciatu neruorum quatriduo torta, dum iis lignis innititur confestim est ab eo liberata. Demum sedis Apostolicæ mandato Gonzales De Rueda Episcopus Gallipotanus cum esset aperto sepulchro Serui Dei corpus inspecturus, reuoluendo tapete quo capsa tegebatur multos etiam tùm odor suauissimus aspirauit.

***

CAPVT

CAPVT XVII.

Vltimo vitæ anno crebrioribus admirandis seruum suum Dominus exornat.

VT postremò in Actu potissimùm triumphant Actores primarum partium, ita supremo vitæ actu velut admirandæ, sanctissimæ & compositissimæ fabulæ mirabilior fuit Bernardinus. Illo enim anno biennis puer Iosephus Camassius cum lugeretur vt mortuus, & iam animam acturo funebria quærerentur, conuenit parens mœstissimus Bernardinum, qui auditâ mœroris causâ, supplex in genua pro puero concidit simulque hoc ipso tempore restituit sanitati, cuius vt ab se defenderet gloriam, tantillum Parenti de Beatæ Irenes gossipio tradit; abi, inquiens, iam enim filio meliusculè est, verum vt seruare Patrona vestra illum pergat, has illi reliquias adhibe, iuit, puerum valentem, edentémque reperit, ne quid tamen seciùs quam præceperat vir Dei, faceret, gossipium puero illigauit.

Catharinæ Monfortiæ Lupiensi sinistrum oculum epiphora obduxerat, quartóque iam mense visum abstulerat, venit hæc in Societatis Templum, ac per socium Bernardini (qui mouere se loco non poterat) eius se precibus commendauit. Respondit Bernardinus, confideret mulier, certò enim visum recuperaturam : hæc ille renuntiat expectanti, & de Patris capillis simul aliquid tra-

G dit,

dit, quod læuo ab ipsa appressum oculo facultatem videndi mox illi reuocat, sed valde imperfectam & quasi per nebulam; tum discussâ paulatim amuleto eodem albugine paucis diebus planè conualuit.

Doctor Bartholomæus Moria, vitæ quod imminebat discrimine cognito, patruum rogauit quem habebat in Societate Bernardini preces vt sibi exposceret, confirmauit exposcenti Pater Bartholomæum haud dubiè periculo commodè defuncturum; suggerenti verò, futurum ei non paruo solatio si quid ad illum mitteret; subiunxit magnâ simplicitate bonus senex, nihil se illic videre præter pallium suum, quod, inquit, si voles, ad eum mittere per me licet. Pallio igitur ad ægrotum quàm celerrimè perlato in horam incidit accessuræ febris retulítque distinctè Bernardini dicta; sub quæ religiosi animi affectu, pallio æger se inuoluit, febrisque illius confestim expers in perpetuum efficitur.

Iacebat Neapoli Laurentius Consilius tam morti vicinus, vt defectus iam omni sensu, muniri sacris mysteriis non posset. Verùm impositâ vestis Bernardini particulâ, tantùm recreatus, quantum opus erat vt æterno instrueretur viatico; mox in primum discrimen recidit, diúque cum morte colluctans, post solennes animæ commendationes, mortuo similis efflasse animam creditus est, defletus, & ad exequias designatus, ad quas ornari tum cœpisset, ni fotet à parocho dilatum aliquid notante residui spiritus ex motu accensæ ante os candelæ. Triduum hæc mortis imago perstitit, crescente interim graue-

olentiâ

olentiâ vitáque nullo aut pulſu arteriæ, aut motû ſe prodente; inſtabat nihilo minus apud Deum ægroti parens per merita Bernardini dilecti famuli, cùm improuisò per ſe in lecto reſedit, exclamauítque contentâ voce. Macti, macti animo eſte; nunc enim non morior, ſed vitam debeo Patri Bernardino poſtulatóque cibo, ac datis reparatæ vitæ indiciis, tunc quidem à Medicis tanquam Lazarus alter agnitus eſt, ac breui deinde omni ex parte reualuit.

Victoriæ Pepiæ nondum, quinque annorũ puellæ ita pedibus captæ vt nec progredi poſſet neque conſiſtere Iulius Pepius à Collegij Æditũo, Bernardini aliquid petiit; Tibiale, & arundinem accepit, & hanc filiolæ manibus, illud tibiæ inſeruit, adiectis in Bernardini honorem Litaniis; & ecce puella in pedes erigi, ambulare, quamuis initio non ſatis expeditè ob diſtorſionem alterius tibiæ, ſed hâc denique poſt paulum correctâ, præclarè incedere.

Camilla Ludouici Antonij Tafurij filia ferè adhuc annicula, totum octiduum lacte, cibóque carens repentè ſanata eſt, admotâ Bernardini è veſte particulâ, quam in eum finem infantis mater à pio quondam ſacerdote habuerat.

Cardonia Camaſſa primo partu dolores patiebatur ſæuiſſimos, miſertus coniux tertio iam die cum iis conflictantem, accurrit ad ſenem auxilij gratiâ; veſtis ſuæ fruſtulum ſenex tradit, vxori reddendum, pariturę quidem è veſtigio, vt aiebat, ſed cùm maximo cruciatu; oſculata eſt mulier ſacrum pignus, vocatóque in opem nomine Bernardini, infantem mortuam illico eiecit, ac ipſa

exanimis cum aliquandiu iacuiſſet, collectis viribus de cætero valuit.

Tærenti Aurelia Fernandina ex malignâ febri iam morti proxima, ſacróque paſta viatico, erat inungenda; huic fratris filia ex induſiolo Bernardini ad oſculum obtulit, recitatáque ab iis qui aderant, oratione Domini, & Virginis ſalutatione, collo eius appendit; vnde puncto temporis cœpit mitiùs habere, ſacram diſtulit vnctionem, breuíque poſtea è lecto ſurrexit.

Ibidem Alexander Maragnius tam proſtratis ex morbo viribus cum eſſet, vt nequiret exhomologeſi ſe ad obitum parare, ſimilis tactu amuleti, iiſdémque precibus, vt potuit, prolatis, cum ſudore copioſiſſimo, vitæ periculum expulit.

Præſes Regij Tribunalis Hieronymus Natalis articulari morbo diu excruciatus leuari ſe dolore ſentiebat quoties veſtis Bernardini ſegmento tangeretur.

Franciſcus Veraggius Puggiardenſis, quod eſt in Hydrunto Caſtellum, iam inde à puero dolores capitis tolerauerat peracerbos; hinc ſemper cum palleret, ac ſtrenuam operam nauare ſtudiis nequiret, quæ apud Societatis Patres frequentabat, conuenit Patrem Bernardinum, eiúſque orationibus calamitatem illam commiſit ſuam, ad quam remedia omnia incaſſum fregerat. Signato Pater cruce ſanctiſſimâ illius capite, ire ad Aram præcipit Auguſtiſſimi Sacramenti, ac *Pater* & *Aue* illic recitare; paruit, & dolore omni repente profligato ab eo immunis in poſterum manſit.

Tærenti Cæſarem Palladinum vix anno maiorem

rem ſuppreſſa vrina , atrociſſimè diſtendebat; huic admota Bernardini corona illicò ſanitati fuit.

Conſtantiæ Lopeſiæ Toletæ, Neapoli cum lateris dolor eſſe infeſtus conſueſſet, anno æui currentis quinto & decimo, totis ſedecim horis, fuit adeò intolerabilis, vt eam Medici conſumptis iam artibus, deſperarent; ad eam Sacerdos è Societate confitentem audire ſolitus, Bernardini pileolum defert, monétque ſibi piè vt applicet; En autem monitis dum obtemperaret, videt prodigioſam manum, hoc eſt, ſolitariam ac ſine brachio, doloris locum ſibi adſtringentem & hanc non temerè manum credidit Bernardini; ex eo ſi quidem, ita omnis dolor extinctus eſt, vt poſtea nunquam redierit.

Felicianam Stomeriam fatigabat malum eò moleſtius quod exponi medentium oculis verecundia non ſinebat, pauculis Bernardini reliquiis confeſtim euanuit, admirantibus medicis, qui eius morbi auditâ hiſtoriâ, fuiſſe peſtiferum ac per ſe inſanabilem iudicarunt.

Deodata Paratia menſe iam integro manu capta ſic vt eâ vti non valeret, confugit ad preces Patris Bernardini, qui tùm lecto affixus cum eſſet, poſtulanti nuntium remiſit qui diceret, ſe preces rogatas abſque dubio præſtiturum; Quâ ex horâ malo abſcedente, manus vſum liberum recepit.

Fuit Iulio Cæſari Monaco Libellioni Lupienſi filius, comitialis morbi quotidianis acceſſionibus miſerè obnoxius ex quo fiebat, vt exanguis ſemper, & decolor appareret. Eum tandem parens mœrore, ac miſericordiâ ſtimulatus inter brachia

ſublatum portauit in cubiculum Bernardini, fusè, flebiliterque calamitatem eius narrans; hunc detentus lecto Bernardinus, cum cruce ſignaſſet, ita perſanauit, vt nunquam deinceps eo morbo tentatus ſit.

CAPVT XVIII.

Diuerſa ſpecie diuerſis viſendum ſe exhibet Bernardinus.

IAm tot iis quæ recenſuimus, & dicturi nunc ſumus beneficiis vitæ ac valetudinis inſtauratæ, id quoque addidit plenus effusâ charitate Dei ſeruus, vt ſe mœſtis è cœlo præſentem & afflictis ſæpiſſimè ſiſteret, ſuáque illos iucunda ſpecie recrearet, de quo conſignata ſunt autoritatibus publicis & à fide dignis excepta quæ ſequuntur.

Narrabat Ioannes Franciſcus de Mariis, ſibi, dum Maſſæ Parochum ageret, nocte quadam adactum palmo tenùs in vmbilicum venabulum, & quatuordecim vulnera impacto ligno, capiti inflicta, cranio multis locis effracto, aduocatum Patrem cui confiteretur, ſed prorumpente in os copiâ ſanguinis, nequiuiſſe; duntaxat ab eo, in diſceſſu, Bernardini pileolum accepiſſe, quem ſibi imponeret. Sic ergo in extremis verſanti adeſt Bernardinus, ponè Virginem Dei Matrem ab Opera dictam, prouolutus in genua, illamque pro iacente orans, qui ab iis audiuit, ad ſananda vulnera adeſſe, à Virgine autem iuſſus, de oleo ſumeret,

quod

quod coram eius imagine ardebat idque vulneribus allineret. Quo facto adeò refocillatus est, vt ante octauum abhinc diem omnino sanus euaserit.

Biduo quam Pater è viuis abiret, Cæcilia Vignesia ægrotans, versus lecti partem defixos oculos mœstissima tenebat, admonitaque ab sorore, vt se ad astantes conuerteret, negauit licere, quòd Patrem Bernardinum in causæ quæ tunc agebatur præsidium vocasset. Quibus verbis quid vellet, non diu latuit, nam ore hilari vltrò post modum conuersa, confectam dixit suam in cœlo causam, & quem in sublimi gloria viderat Bernardinum, ob id coram Deo multum ad eam contulisse, quod pridem apud illum vitam omnem confessione sacrâ expiasset, duobus itaque post diebus alacritate magnâ ad Deum euolauit. Dorothea Albertina in Cœnobio S. Hieronymi Neapoli Monialis scalarum è gradibus prolapsa dextrum brachium non vno loco fregit, manúmque insuper luxauit, hinc tanta humorum colluuies vt totum corpus cruciaret. Quare petita Bernardini, quem singulariter colebat tabulâ suas ad illum effudit querelas; sed vertente iam octauo die, cum præ doloribus animo linqueretur, vigilanti adstitit Vir Dei, reductóque modicè conopæo, sereno vultu affirmauit, velle se omnino eum restituere sanitati; ac inde quidem mali grauitate non mediocriter est leuata, sed intra octauum consequentem diem ex eo sic persanata est, vt nec minimum eius vestigium retineret.

Margaritam Spedicatam Lupiensem pleuritide ictam vehementi, alterâ morbi die, vitalem

medici negabant, vnde Sacramentis communita, vsuque sensuum defecta cum morte confligebat, verum ceruicalis, cui incubuerat moriens Bernárdinus, contactu, sensibus redditur, Bernardinum videt, auditque consolantem, ex quo tantùm cepit leuamenti, vt breui postea pulchrè valens, ad eius sepulchrum rem gestam tabulâ consignarit.

Quo tempore Gonzales De Rueda Gallipolitanus Episcopus causam ordinabat pro futurâ Patris Bernardini in Sanctorum canonem cooptatione, interrogauit aliquot Moniales è S. Ioannis Cœnobio. Atenim Aurelia Venturia multorum admirabilium conscia, sed religione ac metu ducta, veri fortassis præter mentem, in tanto negotio deflectendi, siue aliam ob causam nolens interrogationibus subiici, has voces sibi dici audiuit: I modò Aurelia, vt de acceptis à Patre Bernardino beneficiis & miraculis, die crastinâ testeris; quod ipsa fidenter & omnium prima dum præstaret, hanc ab se auditam Patris vocem primo loco narrauit.

Syluiam Marescallam dolores capitis annis pluribus exercebant, iis aliquando sub serum diei, de Patris reliquiis tantillum applicuit, expetitâ per preces illius beneficentiâ, nocte verò illum dicentem sibi vidit; concessi filia, quæ petisti, cumque illuxisset, sanam se penitus est mirata.

Ioannes Franciscus Salicius Sacerdos Lupiensis ad interrogata primus vocatus est causæ quam diximus instruendæ. Post quæ illi de nocte visendũ se præbuit Bernardinus, paulúmque submoto lectuli tentoriolo; Totã inquit, diem meâ causâ laborasti, ad interrogata respondendo, habeo colla-

tæ operæ gratiam, quibus dictis tentorioli laciniam loco reposuit.

Ioannes Andreas Stoia Clericus Lupiensis à Medicis depositus, florem accepit ab amico de Bernardini tumulo sublatum, piéque osculatus in ceruicali reposuit, cumque insomniâ laborasset, tunc statim in somnum solutus est, viditque dormiens dicentem se esse Bernardinum, ad eum curandum venisse, cuius ipsi argumento fore, quòd sublatum de sepulchro florem non esset in ceruicali reperturus; nam se illum deferre ad S. Mariæ Leuchensis, cuius auxilio iacentem sanasset, excitatus Ioannes florem nusquàm inuenit licet curiosissimè requisitum, sed eam odoris sensit fragrantiam, vt quicquid est in terris odoratum præ illâ fastidiret: Exin meliusculè valere, votoque gestundæ fasciolæ concepto, quæ sui vtriusque effigiem sospitis haberet; nouo tamen sub vesperum appetitus est insultu, verum imaginem Bernardini religioso osculo veneratus accessionem morbi inhibuit, breuique vires omnino resumpsit.

Anna Bozzia, exhaustis incassum Medicis loculisque, Sacramentorum remedia susceperat quibus votum adiunxit Bernardino, si conualesceret fore vt argenteam laminam tumulo eius appenderet, votum lethargus secutus est, & secutura mors credebatur. Dum igitur à Sacerdotibus solennis animæ commendatio obitur; en ægrotæ spectandum se dat Bernardinus, & his eam verbis compellat; secura sis, filia, sanabere, & secundo euentu ægrotatio claudetur; sub hæc cœpit valere leuius, & visum præsentibus referre, nec

diu poſtea priſtinum habitum integrauit.

Camilla Martinia Neapolitana periculoſiſſimos in partu dolores non ſemel experta, iterum deinde partui vicina Bernardini opem implorauit aſſumptâ ſecum de reliquiis eius particulâ; & ſtati quidem venere cruciatus, ſed tolerabiles, ſic vt eſſet obſcurum, aliáne ex causâ, an ex partu propinquo naſcerentur; in iis ad quietem cum ſe in ſedili collocaſſet, antequam ſomno planè concederet, ſenem vidit ſcipionis vice canna fultum, audiuitque hortantem; nihil angeretur; edituram enim, acceptum Deo ſeruum, & vix horæ quadrante præterlapſo, maſculum peperit quem obſtetrix ſalutari aquâ tingere abnuens, vt qui vitæ expers cunctis videretur, perſuaſa eſt à matre, Bernardini verba referente; Tinctus itaque tres annos vixit, & caſtam primigenij candoris prætextam in cœlum reportauit Deo illic æternùm ſeruiturus.

Trimulus puer Leonardus Farſanitus, Bernardini die anniuerſario in foſſam decidit quadraginta palmis viuo in ſaxo excauatam, præcepſque caput pauimento alliſit, vociferante interim quæ ruentem videbat auiâ, adiuua Pater Bernardine; iacuit mortuo ſimilis, & ab iis qui multi accurrerant pro mortuo habitus; re cognitâ, mater, vt erat in Collegij Templo, ad Viri Dei ſepulchrum procidit, ſupplicans filio vitam daret; funibus puer, decursâ iam horâ, extrahitur frigidus, rigens, cadaueri propior, quam corpori, quanquam eſſet veruece recens iugulato ad ſuſcitandum calorem conditus, exili tamen deprehenſo pulſu, viuere adhuc Medicus edixit, ſed vitæ in poſterum

ſpem

ſpem nullam eſſe. Nocte ſubſequenti anxiè excubans filiolo mater, ſomno ac mœrore nihilominus victa, videt primo illo in ſtupore Bernardinum lugere prohibentem, iam enim filium ſaluum eſſe; viſo eo nuntio excitata ad filium aduolat, qui & ipſe, ne lugeas mater, inquit; Eccum ſenem manu cannam geſtantem, & hoc temporis puncto tam perfectâ ſalute donatus eſt, vt lapſus præcedentis ne minimum quidem indicium vllâ in parte corpuſculi remaneret.

Ferrantius Venturius, Baro moleſtiſſimâ oppreſſus pituitâ, probè vigil, ſtantem eumdem præ lecto conſpicit, & ſe conſolantem, ſpondentémque fore vt ſanus quamprimum inde exurgeret, quod re ipsâ eſt factum.

Ioannæ Capuanæ Comiti Altæ-villæ vaticinabantur Medici prolixitatem morbi quo detinebatur, ſed proſperos tandem illius exitus; At ecce mane die quadam cum Patri vehementer pro ſe ſupplicaſſet, videt intrantes cubiculum amœnâ ſpecie adoleſcentes duos, Societatis cultu, qui aiebant ſe mitti à Patre Bernardino, vt renunciarent eam ab ipſo expectari foréque illic, quàm vbi tunc eſſet commodius; Illa Lupienſem habitationem ſuaderi rata lecto ſe affixam negauit poſſe illò proficiſci, verum iuuenes disertè explicant, nequaquam de Lupiis agi, ſed de loco longè meliori, vbi eam opperiretur bonus ſenex, quibus dictis videri deſierunt, ipſáque tum demum intellexit, breui ſe de vita migraturam, ſed illò, vbi famulus Dei iam degeret, quod illam incredibili gaudio ad vſque obitum perfudit, & magnâ beatæ immortalitatis fiduciâ: hoc verò multis quod di-

ximus

ximus ipsamet retulit, addens iuuenes illos arbitrari se fuisse Angelos.

Ioannem Franciscum Grandium sedecim annorum iuuenem maligna febris inuaserat, & apud Medicos quinta die, morte post biduum adfuturâ damnarat. Is Bernardini pileolo capiti inserto, magnam primum sanguinis copiam è naribus profudit, ex quo spei nonnihil visum est Medicis affulgere, sed ingrauescens ad septimum diem, octauo cœpit cum morte confligere, atque hîc illi spectandum se præbens Bernardinus, animos addidit, ad sanandum illum venisse affirmauit, & quam gerebat arundine tetigit; quæ deinde puer edisseruit familiaribus, ac post acrem cum morbo pugnam, naturâ vincente, incolumis fuit.

Decumbebat Lupiis ægrotus Ioannes Dominicus Colosius, & lacunar cubiculi cum tædio spectans Bernardini manum implorabat, qua ipsa in precatione Viri Dei velut in lacunari pictam imaginem cõspicit magnâ animi sui voluptate, nihilque ambigens, quin sibi sospes aduenisset, mox vires collegit, febrimque penitus excussit.

Claudebat extremam vitæ periodum Claudius Recuperus sacris Ecclesiæ mysteriis ritè comparatus, cum senis præsidium, cuius tenebat effigiem, ex intimis visceribus nec frustrà orauit; huic enim se statim videndum exhibuit, consolatus est, spe dulci fouit, repentino denique vomitu Claudius, pestilenti reuulso humore, momento seruatus est.

Franciscum Riccium Neapolitanum, animi gratia cum cognatis in hortos profectum, fera distillatio subitò obruit, ac solo veluti mortuum afflixit;

afflixit; Tenuit is ſtupor quatuor horarum ſpatium, quibus Victoria Farinia eius vxor in Bernardinum religioſiſſimè propenſa, feruenter precabatur, vt viro propitius adeſſet, & adfuit planè, & quidem ſpectabilis prædixítque ſanandum quantocyus; reuulſus illinc domum æger, poſtridie manè valens ac vegetus ad ſua negotia exiit. Vidit eadem Victoria ægrotans Patrem de valetudine celeri ſibi confirmantem, quam & biduo poſt integram obtinuit. Dixere autem pro teſtimonio hi duo coniuges, ſi quid alteruter peccaſſet, ſolitum illi Bernardinum, in eâ quam habebant illius tabulâ, vultuoſum videri & iratum; contrà hilarem ac placatum, cum quid præclarè ad Dei gloriam geſſiſſent, idque ſibi ſæpius contigiſſe.

Ioſepho Popino author fuerat Bernardinus, vt contra inſultus maligni ſpiritus his verbis pugnaret. Adeſte IESVS & MARIA, nam ſi mihi eritis viæ duces, ſalua erit anima mea. Hic ergo iuratus aſſeruit, contra illos Dæmonum incurſus, quoties his verbis vteretur, toties ſibi Bernardinum ante ac poſt mortem, aſpectabilem adſtitiſſe animantem ſe ad certamen, & ſibi victoriam impetrantem.

Ioannem Dominicum Georgij Lupienſem febris ectica exedebat, cum fœdiſſimâ totius corporis, ſeu leprâ, ſeu ſcabie; Vocabat iuuenis aſſiduè in vota Bernardinum, quem duodecimo ſæculi noſtri anno iam venerabatur quaſi ſanctum; & nocte altum dormienti apparet vir Dei, & cur ſe toties inclamaret, quærit; reſpondet adoleſcens ſe valetudinem illius precibus ambire, idque hac ſo-

lùm

lùm mente, vt in religiosâ familiâ Deo inseruiret; Videbatur hic Pater propriis manibus precantis faciem tangendo blandè illum erigere; Læto animo esto, fili, en valetudini pristinæ te reddo, & lecto surgere licebit, ac religioso ordini nomen dare; matutinis horis euigilans, vires commodas experitur; lecto surgit in quo bimestri toto iacuerat, Collegium adit, refert socio Bernardini quod sibi contigerat, moxque de capessendo tractare incipit Patrum Capuccinorum instituto; quod, dato per annum sanitatis recuperatæ periculo, tandem obtinuit.

Ioannes Antonius Iouanius è Societate IESV dirâ febri Neapoli æstuans, & læuâ parotide cruciatus, nec somni quicquam nec cibi admittebat; contractis nempe maxillarum neruis. Sumpto igitur Christi viatico; erat oleo sacro proximè liniendus, cum Pater Iulius Cæsar Recupitus eius olim in philosophia Magister, conuenit; rogauit, quî sibi res haberent; pessimè, inquit, alter; & ad insaniam proximè ob perpetuos, & crudeles cum insomniâ cruciatus; apponamus, subintulit Pater Bernardini cannam parotidi (eam cannam Antonius Lupiis ex tulerat) quò tibi somnum conciliet, vt scio aliis fecisse; recitatâ de genibus ab iis qui aderant, oratione Dominica, & Virginis salutatione, apostemati pannis obuoluto arundo applicatur; Mirá res, ipso illo momento reuertens somnus horas duas ægrotum refecit; hæc interea somniantem videbatur Lupiis inambulare extra vrbem, & dolenter cum socio queri, quod præ acerbitate cruciatus pedibus & animo linqueretur; ad hæc socius medicinam monstrare quæ in

in promptu esset, Patrem scilicet Bernardinum sanctimoniâ potentem, vterque domum è vestigio redire: ipse ad Bernardinum aduolare & interpellare illum summis precibus pro tam diri tormenti remedio, Pater verò solari, animare, extinguendum breui post tempore polliceri: suscitatus hic æger ipsâ re docetur haud temerarium fuisse somnium, sedato iam tum videlicet magnam partem dolore, dein valetudine sensim plenius instauratâ.

Nolæ Ioannes Thomas inter primarios nobilis malignâ febri ad extrema perductus, nullique iam ob debilitatem medicamento par, iubet sibi pileũ adferri, quem ex cubiculo Bernardini pio quondã furto clàm subripuerat, eumque sub serum in lecti ceruical magnâ spe deponit, nocte cernit præsentem adesse Bernardinum, exitij metum certâ fiduciâ mulcentem recuperandæ sanitatis: Tentatâ manè arteriâ medici tam bellè huic subito factum absque manifesto miraculo negarunt, vitam nempe in tuto positam, emendatúmque cibi fastidium: Quare is pileum lecto amoueri non ante passus est, quàm ex eo ipse incolumis surgeret. At quàm gloriosâ, & lucidâ specie fidelem seruum Deus ostenderit nondum attigimus, tametsi hoc Caput procedat longius: sequatur igitur

CAPVT XIX.

Spectatur à multis lucenti facie Bernardinus.

TOt illuminatum radiis animum nihil adeò mirum est in corpus erupisse, lucemque suam cùm illo partitum: affirmari quidem generatim potest, eorum nonnullos qui Lupiense Collegium rexerunt, contuitos esse Bernardini vultum dum oraret lucidissimis radiis coronatum: Æditwus verò Franciscus Hillarius aiebat non semel in cubiculo se deprehendisse luce circumdatum: semel verò in Templo dum Litaniis interesset. Appulsus Lupios Pater Antonius Beatillus, illumque, vt fit, officiosè amplexus, prohibitus est emicantibus è vultu radiis in eum oculos vt conabatur, defigere. Anno sæculi quinto, Iacobus Brācaccius dū Lupiis concionaretur, postridie festi corpori Christi sacro Augustissimū Sacramentum sæpiùs adiit quod publicè in Templo tum erat expositum, semperque in Patrem Bernardinum illic Deum orantem incidit, laudauitque magnopere senis licet ac debilis prolixam pietatem tam modestâ illic reuerentiâ tamdiu de genibus precantis, quem illuc pomeridianis reuersum horis, cum signum domesticæ cohortationis reuocaret sequitur prætereuntem Brancaccius magnâ hominis veneratione, ponéque scalas conscendendo, impelli se sensit ad deosculandum quâ vestigium posuisset, verum inde

inde humo caput tollens videt e toto illius corpore scintillas ardentes promicare, quod monstrariâ Deo specimen credidit, interioris flammæ quam coram Sacramento ex igne sempiterni amoris accendisset.

Ioannes Antonius Negrius Bernardino ad Aram ministrans intuitus est clarè de illius ore tantum erumpere splendoris, vt Solis radio illuminari locus videretur. Doctori Ioanni Antonio Colettæ sæpius visus est, tum sacris operans, tum surgens ab oratione cinctum multa luce os præferre, ac fidem fecere multi fide dignissimi, tam splendidâ illum post precationem abisse facie conspectum, vt esset vni de superis quàm mortali similior, ipsique inuicem mirarentur ac dicerent; Eccum alterum B. Franciscum; En beatum de cœlo Angelum, & his similia.

Affirmat Iulius Cæsar Castellanus Iuris Doctor, se dum adesset celebranti splendentem eius contuitum faciem; quod ipsum asserens Sybilla Cucurria Tertiana S. Benedicti Monialis, addit, in vtraque viuorum, & defunctorum memoriâ fulsisse clarius, séque ad latus concedere solitam, vt eâ specie tam gratâ vberius frueretur.

Petronillæ verò Pisacaniæ ad diuinam synaxim accedens comparuit tam inflammato vultu ac lucido, vt nusquam esset toto Templo aër quàm circa ipsum illuminatior: Eamdem verò ægrotantem inuisens Pater nono antequam defungeretur anno fenestris clausum mira luce impleuit cubiculum. Ex his porrò quæ stylo hûc sumus vsque prosecuti facilè esset conficere quantâ foret vulgò apud omnes opinione sanctitatis; sed hoc

ſeorſim vt explicatius per ſe cernatur, peculiari tractatione eget, quam proximo capite ſubiicio.

CAPVT XX.

Quàm eſſet ſublimis & ampla de Bernardini ſanctimoniâ exiſtimatio omnium.

ETſi ferè ita vſuuenit, vt rarus ſit inter Dei ſeruos qui obtrectatoribus careat, ſed de Bernardino dici ex vero poteſt. Non erat qui loqueretur de eo verbum malum; viſuſque eſt Deus hoc illam præmio ornaſſe quâ inter cætera fulgebat bonitatem, benè de omnibus tum ſentiendi, tum loquendi, itaque viciſſim ab omnibus verus Dei ſeruus, ſublimis vitæ, præſtantiſque virtutis, primoribus iuxta & plebeiis, quin & Societatis æmulis habebatur, qui ſi occœpiſſent, vt nimis ſæpe fit de noſtris hominibus obloqui, & ſuum ſingulis aptare ſymbolum; cum ventum erat ad Patrem Bernardinum; At hic, inquiebant, alter ab iis eſt, ac de illo numero demendus, verè bonus, planéque ſanctus. Et contigit profligatiſſimum hominem monitum dum ludit, è Noſtris duos illâc præterire, malè pereat, inquit, quantum hominum horum in orbe eſt, excepto, ſubiecit confeſtim, P. Bernardino. Tam latè verò eius manabat fama, vt vbi quis Lupiis aliò procul aduentaret, fatigaretur percontando quiſnam eſſet is Pater de Societate tam inſigniter ſanctus, & prædicarentur Lupienſes tanto habitatore, tanto Dei munere beati.

Hunc

Hunc P. Ioannes Baptiſta Piſcator, eximiæ vir- tis exaggeratæ vir, ſolâ conſtanti notum famâ, yronibus noſtris quibus diu præfuit, in exem- ar dabat. De hoc Externi, de hoc Noſtri multa equirebant, vbi quis Lupiis Romam aduenisſe ciebatur : In hunc veluti ſanctum ferebantur pia mnium ſtudia, & veneratio, tum ob mirè geſta, um ob præcipuum paucisque conceſſum quem pirabat ſuauiſſimæ ſanctimoniæ odorem, ac præ- entiæ vim, quâ vnâ mentes ſenſu doloris ſalutari, pietatis, vitæ melioris, ſanctorumque operum in- cendebat. Franciſcanus Theologus ex Obſeruan- tia ſtrictiori, aliíque nonnulli iureiurando con- firmarunt, donatum cœlitus Bernardino, vt eorum qui ad ſe adiiſſent perturbatam conſcientiam, agi- tatam ve prauis impulſibus mirabiliter ſerenaret, quod expertus teſtari potuit religioſus ille Theo- logus, vtpote illi dum adhuc in ſæculo ageret ſo- litus confiteri, ac poſt initum ordinem familiari- ter illo vti.

Narrabat de ſe Nardenſis Medicus, ob incredi- bilem beati Viri modeſtiam ſolo eius aſpectu ſe adeo captum, vt exin perpetuò veneraretur quaſi ſanctum, quod & alij de ſe confirmarunt. Ciuis quidam Nardenſis Societati parum æquus Lupios appulſus Dei tamen ſeruum cognoſcere voluit, in- uenit in lecto ægrotantem, illóque aſpectu ſic emollitus eſt, vt pios liqueſceret in fletus, multo eius manus oſculo lamberet, ſæpe illi precatorios globulos admoueret, quos hodiéque pro reliquiis carè ſeruat.

Dux verò Nardenſis Beliſarius Aquauiua refer- re conſuerat; vt optimum ſenem primùm vidit, cor

ſibi tanquam cœleſti radio verberatum, quo ad reuerentiam illius eſſet magnopere permotus, ex eo vt ſanctum ſemper obſeruaſſe.

Magiſter quidam Conuentualium Minorum, iam tum Neapoli cum philoſophicis operam daret Bernardinus, paucula cum eo in egreſſu ſcholarum collocutus; arctè complexus, frontémque deoſculans, Sanctum altâ voce appellauit. Beatus Andreas Auellinus Theatinus in Societatis Collegio hoſpes, Patribus fatebatur, ſe Bernardini charitatem & humilitatem cum Lupiis cerneret, exiſtimaſſe illum ſanctum. Complurium verò aſſertione conſtat, dum miſcerent cum eo colloquia, non de diuinis modò rebus, ſed & promiſcua, vltrò ſe collectum ſenſiſſe animum, guſtúmque noui ad virtutem feruoris. Alij cœno ſuorum criminum ore tenus immerſi, cum ad eius pedes ea confeſſuri, genua curuaſſent, tanto illorum dolore vrebantur, vt toti in lacrymas ſoluerentur. E noſtris quidam fragore tonitruum terreri ſoliti, in eius cubiculum pro aſylo, tonante cœlo ſe abdebant.

Multi cum Lupios adueniſſent, ſanctum ſibi oſtendi poſtulabant, de quo in patriâ inaudiſſent.

Iam verò hoc nomen ita conſtans ſanctimoniæ ſingularis cum inualuiſſet in hominum animis, aſſiduam ipſi literarum ſeu legendarum, ſiue reddendarum creabat occupationem cum multæ ad illum vndique ſcriberentur ab conſulentibus & expoſcentibus eius preces. Bellarminus certè tam excelſæ virtutis ac ſcientiæ Cardinalis quàm orbi notum eſt, de tribus illum conſuluit, quibus nihil ſibi maius ducebat & grauius, nimirum: An mortiferè

ferè peccasset Archiepiscopatu Capuano quam-
is inuitè admittendo? An deberet illum abiice-
e cum se oneri eius censeret imparem? An posset
se de salute securus? Ad quæ Bernardinus eâ pru-
entiâ rescripsit, vt eius epistola magnæ Bellar-
ino consolationi fuerit.
Claudio verò Aquauiuæ religione insigni &
pientiâ viro, affectâ iam ætate de abdicando
eneralis Præpositi munere quærenti respondit,
post commendatum Deo negotiũue, intellexisse
iam abdicationem ex Dei gloria, & Societatis
ono haud quaquam fore, proinde aliò mentem
nuerteret.
Sacerdos de Societate Neapoli diu in Philoso-
hia & Theologia professor, tam altè de illo sen-
ebat, vt nisi de genibus & nudo capite ad illum
on scriberet, imitatus in eo Xauerium S. Ignatio
India scribentem.
Suarez non virtute quàm fama, & doctrina
nor ad eum litteras anno sæculi quinto Româ
dit, quibus infimis precibus rogabat impetrari
i à Domino consensionem voluntatis propriæ
m diuina, & animum quibusuis in casibus ac-
iescentem vni Deo illos approbanti. Spero au-
n, concludebat, hoc boni quod solum optabile
in hac vitâ, me Reuerentiâ Vestrâ interce-
nte potiturum.
At Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ paulo
equam è viuis abiret, in hunc modum ad il-
n scribebat. Proiectus ad Paternitatis vestræ pe-
illam rogo, vt mihi tantorum conscio pecca-
um Deum propitiet. Dux autem Victriensis-
ritius Sangrius, agens piorum quæ ab illo ac-

cerat munuſculorum gratias, ſic eum compellabat; Accepi ea, inquit, cum multâ, vt par fuit, veneratione, pietate, ac reuerentia, optauique coram, illius manibus pedibuſque oſculum præbere, quod per has ſaltem literas exequor.

Ioanna Coſcia S. Agathæ Dux, Chare mi Pater aiebat, deiecto in terram vultu, abs te veniam, poſco, & mille oſcula eius pedibus affigens, rogo, vti digneris mihi benè precari.

Dorothea Spinellia Altauillæ Comes, volui, ſcribebat, denuò hac mea epiſtolâ Reuerentiæ veſtræ pedibus aduolui, & Dei amorem interponens, ipſam, quàm poſſum ſtudioſiſſimè obſecrare, vt pro me Dominum precari ne abnuat.

Quas verò reddebat ad varios literas ab iis, vt plurimùm excipiebantur magnâ eius obſeruatione, ac ſeponebantur velut ſacræ. Ad Scipionem Rouitum Regium Neapoli Conſiliarium cum ſcripſiſſet, hoc ab eo reſponſum habuit, Erubui, ſi quiſquam alius, maiorem in modũ, inſperato charitatis ipſius officio, & gratiſſimæ pietatis, quo attollere reorum maximum dignatur ad perſpiciendas miſerias proprias offenſionéſque apud Deum; expleri ſatis baſiando ſolo non potui, tanti boni grates rependens Immortali Deo, & aſſeruaturus reliquiarum loco quas ab ipſa habui literas.

Lupiis Pater in Epiſcopalem Eccleſiam ierat Leonardi Bellij infantem filiam ſacro baptiſmo luſtraturus; illic confertiſſimus populus antiquam pridie Epiphaniæ ſpectans ſacri fontis benedictionem; ſtatim ad Patrem conuolare, ambire, pallium, veſtemque oſculari. Die autem Veneris

eris ſáctiori ad Crucé cum Noſtris adorandã pro-
ɛdens, in Confeſſionum Tribunali galerum reli-
uerat, & illuc item à multis accurri, baſiari ab
s pileus,& capitibus reuerenter imponi:Noſtro-
ım non pauci oſculabantur de genibus loca illa
ıæ ipſe calcaſſet; Multi verò quorum excipie-
ıt noxas,abſente illo, Tribunalis ſedile,ac po-
ium. Pater Ludouicus Fidelis è Societate, il-
ıs ſanctimoniam apprimè doctus, optauit Lau-
tum,inde Carpos adire, vt tanti viri cunabula,
: cognatos videret; ob id media brumâ & ſexa-
ɛnario maior cum Romam aduenilſet,vetitus eſt
Præpoſitis Generali tàm pronum vitæ pericu-
ım vlterius tentare,ſat ergo habuit,quando aliud
on licebat, Româ literas dare ad Ioannem Bap-
ſtam Realinum Bernardini germanum ſuæ in
ei ſeruum obſeruantiæ ſummæ teſtes. Hæc por-
› animis omnium impreſſa eius opinio pleroſ-
ıe omnes pertrahebat ad poſtulandas eius pre-
:s priuſquam longinquiori itineri, aut negotio
ſſiciliori ſe traderent, & fuere qui centum mil-
ıria conficerent, ad exquirendum eius conſi-
ım, benedictionem, & patrocinium apud Deũ.
tephanum Perronium Lupienſem iturum Ro-
am, Dei & egenorum causâ, terrebant æſtus cani-
ılæ, Romam intrantibus lethales; confirmauit
ıbitanti Pater, eius rei causâ viam ineunti, nec
omæ quidquam, nec in itinere occurſurum, Dei
ıippe miſericordiam ab eius capite infauſta om-
a auerſuram, qui pauperibus laboraret; Ergo
uſtâ Patris munitus adprecatione Iunij 22. pro-
ctus eſt, hæſit, rediit, vbique felicitate multâ
ſus. Comes Beneuentana, eademque Neapoli

Proregina, in Hiſpaniam profectura orauit Primariam fœminam Lupienſem, quæ Neapoli degebat, vt ſibi ad iter cóciliaret Patris vota; Reſpódit huic Pater petita ſe facturum, & ex Hiſpania ſcripſit poſtmodùm Comes ſe non potuiſſe iter felicius ſperare. Lupiis clarus Claudius Antollietus quopiam exiturus ad precationem fauſtam magni ſenis nunquam omittebat, idemque Noſtris in vſu erat quotquot è Lupienſi Collegio diſcederent. Scripſerat Lupios ad ſobrinum Lucretia Petrazzola, vt à Bernardino benedictionem, preceſque impetraret, pro fauſto mariti in Hiſpaniam diſceſſu, quem, quòd eſſet Regni adminiſtratoribus accenſitus propediem cogitaret; Securum fecit ſobrinum Pater, Deo ſe pro illo ſupplicaturum nominatim, vt cui valde longinqua incumberet peregrinatio; deinde, probus eſt ſubiunxit Chriſtianus & ob labores diù benè poſitos confecturus eſt ingens iter, vt à Domino muneretur, quæ verba hominem pupugerunt ſuſpicione haud vanâ triſtis caſus; De ſingulis tamen conſobrinam fecit certiorem, ipsáque clam tandiu habuit, dum poſterâ die redditarum ſibi literarū febri coniugem tactum vidit; Tunc enim reſponſo Bernardini longum itèr ſpondentis, illum ſolata eſt, verùm die ſequenti æger accerſitæ vxori, Pater Bernardinus, ait, eſt inſigniter ſanctus, & nocte proximâ eius beneficio intellexi profectionem illam, de qua is dixerat longinquam, in aliam vitam ſuſcipi oportere, nolo tamen id feras ægriùs, ſed diuinam potius reuereare voluntatem; tantum cedo mihi confeſſarium, cum quo me comparem ad Chriſtiane moriendum, quandoquidem Pater

moriturum

moriturum prædixit; rescripsit mulier sobrino hæc omnia. Illa Dei seruo exposuit, petiitque non nihil ex Beatæ Irenes gossypio; verùm eo nihil iam esse opus, sed precibus cum diceret Pater; An fortè (refert alter) Dominus Didacus (quod erat ægro nomen) iam fato functus est; sumus, excipit Pater, mortales quotquot sumus, sed cape has Beatæ Franciscæ viduæ Imagunculas geminas; cognatæ alteram, Lucretiæ, alteram parenti dudum viduæ, transmitte; hortaréque illas ad eius sanctæ peculiarem cultum, cum non sit admodum ab ea diuersa illarum conditio, & rescitum est postea dum hæc loqueretur, iam viuendi finem ægrotum fecisse.

Manante in dies latiùs Bernardini famâ cepit multos desiderium viros graues, & autoritate præstantes eum Lupiis amouendi vt tanto & ipsi thesauro fruerentur. Euerardus Mercurianus Societati Præpositus Romam; Carpenses in patriam; Lemensis Comes Neapolim; alij aliò certatim trahebant, Deo interim Lupiis retinente; hominibus verò quem ad se pertrahere nequibant per se aut per literas adeuntibus quibus eius recordationem, tutelam, precesque ad Deum flagitabant, præter illos enim quos memorauimus. Squillacensis Princeps respondens epistolæ qua se illam spondebat habiturum coram Domino Deo commendatam, hoc sibi promisso videri scripsit Inferorum supplicij exemptam, quæ toties esset commerita, obtestans per Christi vulnera, vt suo ipsam patrocinio, & oratione semper dignaretur.

Iulius Mastrillus Maioris Tribunalis Iudex suis ad eum inseruit litteris, nihil bonorum sibi defu-

turum quæ possunt ab homine optari dum in eius mente viueret, ac certo credere hac eius tutelâ conciliandum sibi quidquid in hac posset, vel in alia vita consolationis & gratiæ haberi. Omitto cæteros magnæ dignitatis, virtutis, & doctrinæ viros, qui procul sibi eius opem quærebant. Verùm se Lupios alij conferebant, vt eum viderent & alloquerentur, quod incredibili præstabant veneratione, isque illos vicissim mirè ab se contentos dimittebat. Inter hos Alessanensis Episcopus Canonicus Regularis tam se illi demissè inclinauit, vt multis visus sit humi genu flexo eum salutasse. Bellarminus Societatis Neapoli tunc Prouincialis (postea Cardinalis) cum primum Lupiis Collegium est ingressus, ad ianuam substitit; Interrogauit quis esset Bernardinus, nam socij omnes ad excipiendum descenderant, indicatóque sibi, in genua procidit; procidit pariter bonus senex, & per mutuos amplexus suam alteri alter, vterque omnibus afflauit charitatem. Alexander de Montibus Acaiæ Marchio, post suam bello Catholicis Regibus Philippo II. & III. probatam in Hispania virtutem, demum Lupios redux non ante domum salutare quam Bernardinum sustinuit, prohiberique penitus haud quiuit, quin positis genibus oscularetur eius manum. Idem fecit Franciscus Pignatellus Marchio Spinazzolæ Proregis titulo, & in Bariensi, Hydruntinoque tractu Inspectoris, Lupios destinatus. Sæpè Venetorum Clarissimi ad Lupiensem oram applicitis nauibus exscenderunt, & millibus septem vt Patris aspectu fruerentur Lupios contenderunt, suntque illum insitatis salutationis honoribus prosecuti.

Ioannem

Ioannem Thomam Mastrillum & Iulium Cæsarem Albertinum sola cupido agendi cum Patre, de animi rebus, Nolâ Lupios traxit; Eadem Bario Nobiles nonnullos, vt vitam à puero apud illum confessione sacrâ retexerent; quorum vnus Hieronymus Doppola Patri cuidam ex Nostris de causa itineris aliquantò post requirenti, cum eam fuisse respondisset, exomologesim vitæ omnis Bernardino iudice obeundam; nostra, subdebat, profectio in id vnum tendebat, vt Patris Bernardini conspectu gauderemus, in quo à nobis notatum est nihil quod perfectâ non esset demissione sui & charitate, &c. singulare; intuendo certè atque colloquendo perinde afficiebamur, vt si cum sancto versaremur; Equidem pauca de illius rebus quæ mecum asportaram, ægrotantibus multis fuere sanitati, præsertim in partu constitutis. Indidem quoque de Massiniorum stirpe vir acutus cum Patrem conuenisset, egissentque inuicem satisdiu post officiosum digressum iam solus, ac stupens, cœpit crucem sæpius formare, miranti que Nostro à quo deducebatur, certò ait hic Pater homine maior est, vnius siquidem me commonefecit, cuius mecum solus conscius est Deus præterea nemo. Auditis frequenter quæ de Patre circumferebantur Settinius cæcus ad illum etiam venire statuit, experturus & ipse, ecquid remedij nancisci apud illum posset, quanquam cæcitatem ferebat patientissimè valdéque Christianè: Erat hic patria Romanus, fabrili arte Bariensis, quâ diu factitatâ, orbatus oculis fuerat, hunc ergo Pater cum cerneret, gratularetúrque illi aduentum ad B. Irenem, cæcus ingenuè, se Beatæ illius

ne nomen quidem tenuisse, sed venisse tam longo itinere ad P. Bernardinum, vt suis luminibus medicinam ab eo inueniret. Sub quæ illi Pater, bonâ cum Rectoris veniâ, hospitium in Collegio detulit, in quo vicino Patri cubiculo diuersatus est diebus tredecim, sancto sene illum quotidie sæpiùs visente, abluentéque oculos & manus, ac piis sermonibus refouente, omnique humanitatis officio. At cæcus etsi nihil prorsus valeret distinguere, Patrem nihilominus perbellè cernebat, eiusque speciem tàm sibi graphicè animo impresserat, vt quasi oculis vsurparet, ita illum præclarè describeret: Quin Patrem, vt erat solitus, aliquot panis micas, & aquæ vasculum ad fenestram auiculis ponentem, è cubiculo suo optimè discernebat cæcus, & eo celebrante communicaturus scitè animaduertit seruatam sibi sumptæ hostiæ maioris partem, quòd paratam minorem hostiam cogeretur pater peregrino dare, præter opinionem accedenti. Die autem Sancto Pentecostes, illius oculis, auribusque (nam his etiam ægrotabat) cruce sæpè lustratis, cum illi Pater iam fieret proximus, Eucharistiam porrecturus, vidit illam maximè distinctè splendore, & radiis cinctam, quibus Patris manus & brachia mirè collucebant; vidit & Patris vultum, corpusque reliquum luce fulgens, nec vltra hæc aliud Deo visum cæco concedere, ne tantumdem eius patientiæ demeretur, quantum visui accepisset.

Quibus in patriam redituris non licebat familiaritate Patris diù frui, eum vt poterant ferre secum præsentem studebant. Horum primus fuit Horatius Verdasius Iuris doctor & in Hydruntina

Prouincia

Prouincia Regius Cognitor, qui grandiore in tabula iussum sibi ad viuum exprimi Neapolim tulit, de cuius exemplo tam multa ibidem sumpta sunt vt latè per vrbem spargerentur: secuti sunt alij & in varias orbis partes vel ipsi tulêre, vel Lupiis acciuere, spectanturque magno cum honore apud multos inter cæteras imagines pias. Tam consentienti hominum conspiratione serui sui famæ velificante Deo, vix ausus est quisquam illum perstringere. Patrum certè duorum aliquantum ipsi obmurmurantium, regressus in sæculum infelix probauit Deum esse illius nominis vltorem. Quidam autem Rector amoliri eum à Collegio volens certis ipsemet de causis à Præposito Generali officio motus, acerbâ morte post paulùm interiit: & Iurisperitus, olim Cognitor Hydruntinus interdum obloquens communibus hominum studiis erga Bernardinum ad extremum factus hæreticus vitæ finem miserrimum nactus est: Sed istiusmodi obtrectatores fuere paucissimi.

Contra verò in illum tam erat prona omnium pietas vt nihil non agerent, quo viuentis adhuc reliquias alicunde sibi decerperent, tùm religiosè honorandas, tùm desperatis humanitatis occasionibus remedio futuras. Itaque in Templo precatoriæ ipsi Coronæ rupto funiculo, dissilientes globuli tam raptim collecti sunt, vt nullum recuperare potuerit.

Antoniæ Tafuræ Lupiis Nobili, apud Moniales Beati Ioannis, exciderat dicere, de zona Bernardini quam secum gestaret; hîc religiosæ Moniales orare, vrgere; insistere, vt eam sibi liceret videre, at vbi præ manibus habuerunt mox eâ inter

ter se distributâ, suam Antoniæ duntaxat breuissimam partem reddiderunt.

Qui Olympiam Claram ægrotantem curarant medici, Bernardini zonam, quam ea semper gestauerat, statim ab eius obitu inuaserunt, ac religiosè inter se partiti sunt. Annibali Mercurio Canonico, & Musico apud nos in Templo dum caneret, pileolum suum commodauerat Bernardinus, ne voci noceret aura frigidior; id qui aduerterunt, multis modis egere vt eum impetrarent, sed semper irrito conatu, nunquam musicus aut cuiquam concedere, aut restituere voluit, dum clam inuito subductus est.

Beneuentana Comes Menzia dedit ad Bernardinum ex Hispania literas, vt quas ab eo reponendas sperabat, pro reliquiis conseruaret. Bisignanensis verò Princeps Isabella Roueria scripsit Lupios à multis petens, vt indusiolum eius detritum ac vetus sibi curarent ac mitterent. Crebrò in Templum cum ampullis piæ fœminæ ventitabant, vt secundùm sacrum quod in vrceolis superfuisset operanti secum ipsæ auferrent. Multi aurem pœnitentibus dum præbet, eius suffurabantur arundinem, quam ei mos erat in sedis angulo deponere. Quidam etiam vestes resecabant, vel earum ex limbo excernebant fila facilè vetustate cedentia, eidem cum mancipio precanti, quod vitali vndâ recens abluerat, segmentum vestis mulier Primaria forficibus abstulit, Lupiensium scilicet imitatione, nec induci valuit vt circum rogantibus quidquam ex eo diuideret, velle si quidem Neapolim id deferre ibique in suos tribuere.

Rogerius Libellius Lupiis inter Ciues notus
coronam

coronam amiſerat, nullo materiæ aut operis pretio; quòd tamen Bernardini eſſet, frumenti modio reſtituentem libenter donauit. Nummos viginti Philippus Catalannius Lupienſi ei propoſuit, qui ad ſe amiſſum referret pileolum, cauit ne adderet Bernardini, eſſe; ne fruſtra quantouis præmio quæreretur; recepit hunc tandem, eiuſque repertorem largo munere affecit.

Lælia Sanſeuerina Comes Briaccenſis, Lupienſi cuidam ſupplex in genua procidit, tantùm vt globulum obtineret ex Bernardini corona decuſſum. Marcus Antonius Zimara cuius in ſuperioribus facta eſt mentio Zonam obtulit Annæ Mendozziæ Santangeli Comiti à Bernardino aliquamdiu tritam; hanc illa de genibus exceptam, collo quaſi torquem pretioſiſſimum iniecit, ſibique non minùs gratum munus veniſſe, Zimaræ confirmauit, quàm ſi Regnum integrum accepiſſet. Molares duos, & dentem Bernardino Franciſcanus Infantinus diuerſis temporibus euulſerat; alterum ipſi argento inſertum Regius quidam adminiſter, vi autoritatis eripuit; Alterum pariter argento cinctum negabat ſibi vel opimâ villâ ablatum iri foreque ſuis duobus liberis hæreditarium, ſed elapſum fortè de manibus vnus è Noſtris Adiutoribus celerrimè ſuſtulit, chirurgo incaſſum reclamante ac multum diu iraſcente. Alius dentem vltrò deciduum occaſione vſus tergendi ſanguinis, & iuuandi Patris, cautè ſibi ſumpſit, iſque Neapoli nunc ſeruatur.

Portia Pepeia Aquauiua, Dux Nardenſis pro ſingulari dono eius Cannam pro Reginæ Neapolitanæ, Lemenſi Comiti obtulit, eam magno deſiderio

ſiderio expetenti.

Iacobus Soria Gironius nobilis Hiſpanus Tabellionum Regiorum Lupiis Inſpector metu repulſæ inhibitus ſimilis Cannæ duntaxat particulam ab Hortenſio Infantino Tabellione modeſtè petiit, obtinuitque nodo primo tenus, ſtatimque argento ornandam tradidit cum eximio ſenſu venerationis.

Iſabella Tolfa Marchio acceptam à Ioſepho Sufficientio Barienſi Ciue eiuſmodi cannam auro ac ſerico contexit: Aliam Iulia Muſcettola Caroſinenſis Baro pretioſo inuolutam panno cum aliis eiuſdem Patris reliquiis palam habebat expoſitam.

Accerſitus ad Turrim - pictam faber lignarius Lupienſis, apertâ Baronis loci Dominæ capsâ cannam illic recondi mirabatur, verùm ipſa nihil mirum docuit, nihil quippe ſibi Cannâ illâ in terris carius, quod Patri Bernardino vſui fuiſſet. Sed in ſimilibus memorandis ne iuſto diutius hæream, duobus claudo notatu digniſſimis.

Petrus Ferdinandus à Caſtro Neapoli Prorex, viri Dei epiſtolas in religioſo ſcriniolo cum multis Sanctorum reliquiis colebat Dux verò Andrięſe Lupios vt contulit tantùm illum ſalutaret, quo in officio, pietatis causâ eius pallij laciniam ſuâ ipſe manu amputauit; Quod mirum dictu, in Ducis oculis ſubitò ita creuit, vt integerrimum appareret. Multorum adhæc probauit ſenſus, ex eius reliquiis odorem ſpiraſſe dulciſſimum nullius artis ingenio conſcitum. Ac de ſanguine quidem prodigioſo dictum quem Lucretia Petrazzola clauſum lenticulâ vitreâ ſeruabat, cuius cœleſtem

fragrantiam

fragrantiam festis anni diebus præcipuis augeri: Tum ipsa, tum alij ex eius domesticis legitimè iurarunt. Bartholomæus verò Maria Iuris Doctor ob id accensæ honorem lampadis, domi, eius reliquiis deferebat, quod mirum ex iis iugemque odorem efflari sentiret. Quin aperta quandóque coram multis, admodum reuerenter quam secum gestabat pixidulâ, & nonnullas ipsis earum ostendit, & suauissimo illarum odore tum pie illos recreauit, tum ad laudandum Deum in suis mirabilem permouit.

Hic tamen prætermitti est nefas, Patrem valdè inuitum, hanc obseruantiam, vbi animum aduerteret, tulisse, sibi ac rebus suis exhibitam. Dentem qui sibi exciderat, per fenestram proiectum, cum rescisset ab Adiutore sublatum fratre, mox illum conuenit, & quamuis magnopere suâ lætum prædâ, illum sibi vt restitueret perpulit, aiens eiusmodi debere abiici, non autem seruari, & verò ipse receptum abiecit. Arundo autem cum sibi subriperetur à pueris, ridebat scilicet, suspicari nescius parentum industriâ, iussúque id agi; sed ratus pueris videri ad colludendum aptam; at si quis maturior eam abstulisset. Tum verò nihil non mouebat, vt posset eam recipere. Et hæc de famâ virtutis admirandæ, quâ viuens, clarebat Bernardinus, ponamus iam satis opportunè

CAPVT XXI.

De multorum in rebus dubiis ad illum concursu.

AD ſanctimoniæ claram famam, de qua proximè eſt narratum adiuncta experientiæ, doctrinæque exiſtimatio, quam plurimos rebus ambiguis, caſibuſque perplexis ad Bernardinum conuocabat qui eius conſilio, & ſententiæ velut oraculis parebant.

Comes Palmeregienſis Philippus Matthæi, grauius, leuius, nihil prius decernebat, quin illius mentem ſuper eo rogaſſet. Prouinciæ Præſides Iulius Aquauiua & Antonius Mendoza Gambatoſæ Comes, cum adminiſtris Regij Tribunalis nihil conſtituebant, quin conſultum foret cum Dei famulo, & ex eius reſponſis tanquam tripode ſic pendebant, vt cum dicebatur ſic ſenſiſſe, dixiſſe, probaſſe, nemo omnium repugnaret, ſed velut Angelo tranquillè acquieſcerent vniuerſi. Sæpe illum adibat Lupios Epiſcopus Oriéſis Lucius Fornarius, quæ in Eccleſiæ gubernatione difficultates ſuboriebantur cum eo communicaturus. Adiit Ioanna Aragonia Vidua Marchio Giaratanenſis per literas, quibus explicatâ vitæ anteactæ ratione, ſe pro Dei nutu habituram ſpondebat quicquid in futurum ſuaderet, ſeu de alteris nuptiis, ſeu de cœnobio innuiſſet.

Cauſam vrgebat in foro Epiſcopi Marcus Antonius

tonius Troianus Lupiensis de hæreditate in magnum vxoris detrimentum Clero, ab socero relictâ, cumque nulla post ingentes sumptus, & alternas molestias componendarum partium restaret via, tandem Viro Dei rem omnem permiserunt eius sententiæ vtcumque cederet, cessuri; & pronuntiauit ita sapienter, vt vtrique ex voto cesserit, Clero Episcopi & Troiano.

Quæcunque verò difficultates nascerentur; quæcumque dubia interrogaretur, facere satis omnibus contendebat, nec vllum ab se dimittebat, nisi auditum, recreatum; & de re propositâ certum; Bis tantùm quod quidem sciatur, cum diem solidam consulentibus dedisset, sub serum diei fractus & exhaustus, reuocanti ad Ianuam respondit; non vacare, sibi horarum pensum exsoluendum esse: At enim responsi pœnitens Ianitorem è vestigio secutus iussit virum induci qui consilium quærebat, fortassis enim maioris momenti negotium habere; quo humanissimè expedito, ab Ianitore tantùm non de genu mali exempli veniam petiit, quòd in homine illo audiendo se difficilem præbuisset. Et hoc suæ cunctis operæ largiendæ in absentes quoque studium tenebat, eorum literas, etsi forent hominum postremi, suis nunquam sinens mutuis carere. Nec verò caussa in obscuro erat, quæ tot vndique mortales ad consulendum illum excitabat, nempe responsa Viri Dei, sic ingenium implebant; vt omnem ei adimerent scrupulum. Itaque Petrus Baldassarus è Carmelitarum familia. Concionator Theologus, & sæpe illorum Prouinciis præfectus Bernardinum frequenter de con-

ſcientiæ controuerſiis adibat, aiebátque ſe ad oraculum ire, & ſuum illius effatis animum, nube omni deterſa dubitationum acquieſcere conſtanter. Comes Alexander Matthæi pro teſtimonio dixit fuiſſe tam plena illius reſponſa, vt nihil anceps in cuiuſquam mente relinqueret. Petrum de Bandis Nardenſē Medicū exagitarat diu ambigua quæſtio, nec diſſolui ſat liquidò quiuerat ab nonnullis Neapolitani Collegij Patribus, at is deinde Lupios profectus, congreſsúſque cum P. Bernardino tam illuminato quietóque illinc animo rediit, vt nunquam præterea ſuper ea re hæſitarit. Idem Doctoratus inſignibus ornandus Lupios item ad Patrem venerat, vt modum exercendæ artis ab illo doceretur; & de multis eſt doctus ita feliciter, vt poſtea diceret ſibi multos annos illis vtenti præceptionibus res ſemper optimè proceſſiſſe. Huic ipſi Medico valde commendarat Pandus de Pandis Nardenſis Gymnaſij præfectus, vt cum Lupios ire contigiſſet, præſidium ſibi à Patre poſceret multorum quibus in erudiendâ iuuentute lancinabatur ſcrupulorū. Ad eum Pater ſcriptam ab ſe remiſit docendi formulā, cuius ipſe obſeruatione illâ inpoſterū omni moleſtiâ caruit.

Pellem ſutor quidam ab oræ maritimæ cuſtode ex naufragio habuerat, indidem quoque alteram emerat, vtrimque cœpit tam violentis conſcientiæ aculeis fodicari, vt ſe iam inferis addictum putaret, nec valebant eorum, tum qui confitentem, tum qui conſulentem audiuerant admonitiones, iactatum animum placare, vno Patris affatu eam eſt tranquillitatem nactus, vt ſe ex inferis in Paradiſum tranſiuiſſe palàm prædicaret.

Quibuſdam

Quibusdam prauos animi impulsus,& tentationes cum illo communicantibus,euanescebant interea, & quam in futurum petebant opem, præsentem experiebantur. Cuidam in Templo S.Antonij Patauini, sacrorum tempore inflictum vulnus, Patres illos maximè conturbauit, & variis licet Doctoribus & doctis repentino in casu varia suggerentibus, in Bernardini vnius, quem tandem conuenerant, præscripta placidè consensere.

Antonius Caraffà Dux Andriæ, eius vt Angeli stare iudicio assuetus semel hominem certum ad illum destinauit cum literis manu propriâ exaratis,probéque obsignatis quibus ad Rectorem alias addebat, rogans clausas illas Bernardino reddi, aut si per leges nostras non liceret, clausas ad se remitti; redditâ senex epistolâ, excusare debilitatem visus, ob quam non posset epistolam legere, neque rescribere; verùm admonitus ne Ducis vota detrectaret, relictam sibi epistolam denique aperit, nec sine euidenti prodigio, tam commodè perlegit,tum fusè sua manu,& caractere tam bono reponit, quam qui oculis valuisset.

Proregem Hydruntinum Nucensium Ducem velox & inexpectatus perculerat nuntius de classe Turcarum ingruente; Itum est ad arma celerrimè, munitáque ora subitario milite; illic ab nouo acceptum nuntio, hostem quinquaginta vix miliaribus abesse: Quæ ad Patrem Bernardinum cum Dux perscripsisset, securum ille per literas fecit, nec Turcarum quidquam tunc apparuisse, neque multis post annis in ea prouincia visum iri, quod verum fuisse deinde notatum est. Sternachienses Promontorij Hydruntini Organtinum Paterã Me-

dicum, popularem suum Syndicum legerant, litémque mouerant recusanti; is cum Lupiis habitaret Patris sententiam in re molestissima quæsiuit; suadenti tamen ne id charitatis officium egenti patriæ negaret; opitulari se illi negabat posse, quòd esset res patriæ extra spem status melioris; minimè verò, inquit, sic desperanda est, vti reris, admitte sis iniunctam prouinciam, & pro certo habe, omnia ex voto & prosperè successura; paruit Medicus, nec longum, vidit ereptam magnis calamitatibus patriam solutam grandi ære alieno illáque rerum commutatione, admirationi omnibus effectam. Diximus itaque de fama viuentis adhuc Bernardini, iam

---

CAPVT XXII.

De famâ eiusdem à morte, ac deinceps.

BErnardini opes, quamdiu nauigaret, tanti æstimatas, multo pluris fama & meritò censuit, cum fuere per mortem in portum subductæ; accessere innumera sanctimoniæ argumenta, quibus fama illa in immensum creuit: cœpta inde à multis eius patrocinia acrius ambiri; anathemata offerri, & appendi ad obtinenda quæ postulabantur; pingi, eudique illius imagines, Romæ, Neapoli, Leodij, Antuerpiæ, aliísque in vrbibus; sepulchrum illius remotis ex regionibus adiri; Deus verò quod potissimum est, religiosa hæc hominum studia, multiplicitate munerum concessorum, perpetuisque ac patentibus prodigiis incendere, ac sancire.

ſancire. Lupienſes quidem vt ante dictum eſt, ſtatim ab obitu monumentum illi in Societatis Templo ex elaboratis lapidibus decreuerunt, quod abſolui cum tam citò non poſſet; Octobris 13. tribus ferè poſt mortem menſibus conuenerunt publicè delecti, & ſuo eductum Sarcophago ſerui Dei corpus in thecam cypreſſinam pulcherrimi operis panno ſuffultam Attalico incluſerunt, ac thecæ alterâ ſibi aſſumptâ claui, Rectori Collegij alteram reliquerunt; Tum pone maiorem Templi Aram in Sacrario collocarunt. Qua occaſione detracto corpori cultu violaceo (diuerſa poſtmodum in loca, & homines diſſecto) ſubſtitutus eſt candidus, velut aptior Confeſſori. Repoſitâ dein eo loco capsâ comportari mox ad illam honorandam funalia, cerei accendi, flores, odorataeque frondes ſpargi; affigi tabellæ, tum argenteæ, tum pictæ, grata beneficiorum, quæ illinc manabant, admirabilium documenta.

Iam autem perfecto ad ſiniſtrum latus Aræ Principis ſepulchro in illud priuatim, concurſus vitandi gratiâ, corpus illatum eſt: quod vt percrebuit, infinita vis populi ſubitò conuolauit, cum accenſis ingenti numero facibus, & ſertis, cum floribus, & Anathematis; ac fuere qui ex tumulo flores, frondes & puluerem ægrotis amuleta & præſidia tollerent: Inter quatuor columnas Corinthio ſchemate laboratas iacet Bernardini effigies mortua ſacris veſtibus induta, quam dici non poteſt quantâ reuerentiâ populus, quot oſculis, ornamentis, quaſi fiduciâ veneretur: imminet ſtatuæ inciſum lapidi Epitaphium ſequens.

PATRI BERNARDINO REALINO CARPENSI E SOCIETATE IESV, VARIETATE DOCTRINÆ, CHARITATE IN PROXIMOS, MAGNARVM VIRTVTVM NOTIS, VITÆ SANCTITATE ATQVE INNOCENTIA CELEBERRIMO. ORDO ET POPVLVS LVPIENSIS, PARENTI OPTIMO, ET OPTIME MERITO.

VIXIT ANNOS 86. IN SOCIETATE 52. IN HAC VRBE 42. OBIIT VI. NON. IVL. SABBATO ET FESTO DIE VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS. 1616.

Sepulchro crebras ex argento lucernas multi appenderunt, vt ornandis eius virtutibus lucem continuam ministrarent. In iis fuit, quam misit Neapoli Fiumaria de Mendozza Sansanensis Princeps cum argenteâ similiter non vulgaris artificij corona, in Eucharisticum acceptorum à Patre munerum. Misit etiam Iosias Aquauiua ex serico pulcherrima ornamenta, & feruenti concursu frequentatum est sepulchrum, decoratúmque votiuis ex auro, argento, ligno, cerâ aliâque materiâ, innumeris Tabulis, & Anathematis, donec Pontificio Decreto, vti similibus, sic istis modus positus est.

Die porrò anniuersario felicis eius ad Deum transitus, pretiosa veste Collegij Templum Lupiensis adornat Magistratus & concentu exquisitissimo vespertinas preces sacrumque celebrat de B. Virginis Visitatione positáque pro sepulchro vrnâ sortitur pauperes puellas, quibus elocandis dotem in Patris honorem donat. Postremò iidem Lupienses quod eo viuente sciuerant de agendo apud summum Pontificem, vt in Sanctorum album

bum referretur; è viuis ſublato, ſatum extemplò eſſe voluerunt; Eam ob rem lites ad hoc pertinentes multæ paſſim inſtructæ, digeſtæque auctoritate iuridicâ; Lupiis Duæ; Terenti vna; Nardis vna, Itemque Vgenti, ac etiam Capuæ; Molfettæ rurſum duæ, vt & Caſtromari, omnéſque ad Romanam Curiam perlatæ, cum ſex & triginta Epiſtolis, Eccleſiarum, Vrbium, Prælatorum & Principum ad Pontificem ſcriptis; Inter quas fuerunt à Sereniſſimis Bauariæ, Parmæ ac Mutinæ Ducibus; Iis vnum omnium continebatur votum de impetrandis Diplomatis, quibus licerent, imò iuberentur cognitiones nouæ in eamdem Canonizationis cauſam, quæ ſunt præſidio illorum Diplomatum reipſa habitæ, Romamque tranſmiſſæ, vt iis ritè de more perpenſis, conſultiſque poſſit vlterius, ad decernendos ſeruo Dei Beatorum honores procedi.

CAPVT XXIII.

De Prophetiæ dono in Bernardinum cœlitus collato.

INgens rerum ordo in hac nobis materia aperitur, tam clarâ enim ac tam certâ prophetiæ frequẽtis luce famulum ſuum afflabat Deus, vt legere ipſe in lympidiſſimâ diuinæ ſapientiæ criſtallo, futura & abdita videretur. Ac primùm Antonio Fornario prædixit fore vt inter Equites Melitẽſes profiteretur nomen; Franciſco Maſtrillo; Nicolao

Græco, multisque aliis; inter religiosos Societatis IESV. Quærenti verò, num in adiutorem deberet se Societati adiungere, suadens annuit, tametsi enim eius deserendæ esset discrimen subiturus, duraturum in eâ nihilominus ad mortem, ac durauit per aliquod tempus incipiensque desertionis vertigine pulsari, eam morbo interueniente, mortéque elusit. Alium præmonuit de futuro ex religiosa quam tunc inibat familiâ, discessu, haud quidem voluntario, sed ob depositam alioqui valetudinem coacto.

Redibat Neapolim magno suo cum dedecore Doctor Bartholomæus Durantus redemptor Hydruntinus, obiecta grauia purgaturus, Lupios dum præteruehitur, confictas in se calumnias Bernardino exponit, cui Pater, abi modò nunc lætus, mox enim Hydruntum maiore quàm priùs gloriâ remittére, excipierisque communi plausu, pulsuque æris campani festo; quæ vt erant ab Dei famulo mente ac sermone præcepta; ita omnino euenerunt.

Iustinam Viuam ex adstrictiore calceo, pede læsam, deinde mutilam, tùm euulsis aliquot ossibus suspenso crure miserè contractam, vlcus præterea in corpore enatum, sæuo cruciatu, sæuiore graueolentia torquebat, nec moueri sine furculâ poterat; hanc mater sæpiùs sistebat Bernardino à quo spe semper alebatur adfuturæ quandoque sanitatis. Tenuit tamen annis perpluribus hic labor, donec biennio, post viri Dei obitum elapso, nullà remedij cuiusquam ope, crus ægrota extendit, in pedem constitit, ingressum tam facilem resumpsit, vt si nunquam antea claudicasset, cuius

vaticinij

vaticinij argumentum viri Dei sepulchro furcillam affixit. Vgenti Comes Ferrantius Caputius cum vxore nouem annos sine liberis traduxerat, eos ex secundis nuptiis sustulit, vt prænuntiatum à Patre fuerat, tametsi nesciente ecquam duceret vxorem. Diu quoque Franciscus Albertinus qui fuit Marchionis Tersensis gener, Liberis carebat; suscepturum asseruit, & verè Bernardinus; Idemque contigit Gambatesiæ Comiti Primariæ fœminæ; & Scipioni Marresio illustri Tærentino; Ducibus Terræ Maioris Neapoli; Marchioni Lempensi in Sicilia. Neapoli rursùm Fabio Galeotæ, Vincẽtio Apussio Castromari multisque aliis, quibus hoc idem Pater futurum denuntiauerat. Comes autem Petrus Fernandius à Castro, itemque Lucretia Petrazzola, de quibus affirmarat, prolem nunquam iis nascituram, vitam steriles exegere.

Venit Lupios Ascanius Caputius Neapolitanus de vitæ genere cum Patre deliberaturus; suasit Pater vxorem duceret, quam ipsi Deus virtutis eximiæ destinarat, vitamque in eo coniugio tranquillam perpetuò victurum: mo rem gessit monenti Ascanius, crebro postea testatus, connubio illo nullum vsquam cecidisse felicius. Actum magnopere cum esset ac penè confectum de nuptiis inter Cæsarem, & Camillam Castriotas, retrò inde labente negotio, propéque disturbato rogatus est Pater de illius euentu quid sentiret: Respondit coniugium in cœlo iunctum in terris quoque processurum cui dicto exitus fidem fecit. Vice versâ statutum, Baronem inter Iurensem, & Lucretiam Petrazzolam, apertè negauit processurum: quamuis

uis ergo ſponſus, Lupios verſùs arrepto itinere (vbi erat inſtructa nuptiarum pompa) prope vrbē eſſet, leuiſſimâ de causâ ſententiam mutans Domum ſe retulit, totumque negotium diſſoluit.

Neapoli ductas in carcerem nobiles Lupienſes Lucretiam Petrazzolam, & Iſabellam Venturiam cognoſcens, educendas honorificè aſſeruit: facti verò autorem Iudicem à Deo plectendum, & eæ quidem multo cum honore liberatæ: is in aliam vitam intra dies non multos vocatus eſt rationem ſui redditurus. Poſtremis Hilariorum diebus iubetur Claudius Seripantus noſter, ſupplere concionatoris vicem, qui Templo noſtro fortè tunc deerat, excuſabat ille quod nunquam pulpitum conſcendiſſet; ſed animauit hominem Bernardiñus, fore ſi quidem vt mirum in modum ſatisfaceret auditori, quo ille promiſſo non temerè nixus concionem admiſit, totique vrbi ſummopere placuit.

Ludouicum Mariam Sampetrium grandæuæ matris ac viduæ vnicum filium, religioſæ vitæ percupidum, multa ſollicitum habebant, quæ obſtitura votis dubium non erat, huic Bernardinus preces ad hoc ſuas expetenti. Sit, inquit, fili aduerſus eiuſmodi, Patrona tibi virgo Mater; huic, vbicumque difficile quidpiam occurrerit, Antiphonam *Salue Regina* recitato, & puta de cætero cuncta proſperè ventura; fecit adoleſcens quæ doctus fuerat, ſuperatiſque multis quæ incurrebant moleſtiis, matre demum iam non repugnante, ad Societatem ſe adiunxit, quam poſt annos non ita multos meliore vita commutauit.

Roberta Palmeria Illuſtris Monopolitana Lu-

pios sæpè ad Dei famulum miserat,rogatum vt sibi filium à Deo exoraret;Quæ postulatio cum superuacanea videretur,post eam variis responsionibus dilatam,denique renuntiari iussit, filium suscepturam quo minimè esset fruitura; Quare assiduâ tùm confessione,tùm communione per grauiditatem se armaret;ergò in partu cum proles dimidia non ægrè prodiisset, maternâ cum carne pars altera sic coaluerat, vt diuelli nunquam potuerit,sed post vtriusque carnificinam, quæ biduò tenuit,cruda vtrumque mors abstulit.

Violantiæ Nogheræ vterum gerenti,desiderantique apud Deum ab illo iuuari,cruce benè precatus,ne,inquit,feras quod dicam mœstius,fœminam paries,& Irenem vocabis sed paucis mensibus in cœlum abituram, quibus sigillatim res ipsa respondit, puellaque mense vndecimo obiit.

Hippolyta Pignatella relicto coniuge, Marcello Cauanallio Marchione ad suos redierat:curauit mater ad Bernardinum literas, vt super ea re deprecaretur Deum, quibus Bernardinus fore dissidiorum finem, cum Hippolyta in Cœnobium secessisset, spreuit monitum cum agnatis mater, & ad conciliandam concordiam nihil non egit, sed iterum rupta, iterumque resarta nunquam priùs constabilita est quam se Hyppolita Beati Hieronymi Monasterio inclusisset.

Emanueli De Acugna tibiam amputandam pronuntiauerant Medici,ne corpus reliquum lues corriperet, scribenti ad se tam funestum casum rescripsit Pater, nihil ferro opus, nam etsi tibia nunquam esset satis persananda,sed suis interuallis

facturum

facturum inducias malum, nec fore corpori exitiabile. Sic Emanuel dum ista pararemus, incertis spatiis certo tibiæ gaudebat leuamento. Iosepho Mariæ Aiellio trimestri pueruło collum intumuit, octauoque anno corpus cæterum æquauit; ductus identidem ad Patrem, vt precaretur ipsi meliora, constanter repetebat tumorem illum spôte naturæ dissipandum & verò post multam, semperque irritam medicationem ruptus per se euanuit.

Doctori Francisco Tafurio ad regendum pagum non ignobilem ituro, autor erat Pater, eo abstineret; ipsum alioqui multa illic manere, peracerba; stetit nihilominus in proposito Doctor, sed eo successu, adeoque aduerso vt multo prius cogeretur gubernatione excedere quàm tempus legitimum appeteret. Horatium Verdusium Regium Cognitorem Lupiis monuit sæuam Neapoli à viris potentibus instare illi tempestatem, ad quam animum patientiâ obarmauit, eô vaticinij certior quod Patris dum hæc prædiceret, vidit cinctum caput coronâ palmo non minore, nec videre quamdiù cum illo tractaret desiit. De cætero Patrem nimis verum vatem quæ consecuta sunt monstrauere.

Antonius de Mendosa Gambatesæ Comes, Armorum Hydruntinâ in prouinciâ præfectus Turcam prope abesse Bernardino referebat, séque id certis nuntiis habere; complexus hunc Pater, esse sollicitum vetuit; Turcas illo anno, eius Prouinciæ loca nulla tacturos, Quâ opinione tam certò Comes persuadebatur, vt esset militem ab iis oris amoturus, nisi de se sermones præbere noluisset; &

certè in iis nullam eo anno Turcarum nauim quisquam vidit.

Tobiam Apontium, Infestum asthma fatigabat, Pater auxilium poscenti, Placet, inquit, Deo te hanc fili, molestiam perpeti; proinde, ne spera te ab ea fore vnquam immunem: fluxere anni ex eo tempore viginti, nec humor viscosus cessauit vitiato pulmoni influere. Francisco Mirabellio è Societate IESV pridem affirmarat, quod verum expertus est, fore illi ad mortem indiuiduam podagram. Margaritæ Corsiæ sinistrum brachium vomica perdebat, oculos sensim obducebat concrescens in membranam humor; Ergo aliquando Societatis ingressa Templum, Bernardinum rogabat, vt se apud Deum adiuuaret, Cui Pater, necesse est, filia, Dei nos vbique arbitrio subiici; & is quidem tibi saluos oculos condonat, brachium non item; sub hæc deprompto B. Irenes gossipio ægros oculos tangit, quibus præclarè instauratis manca brachio mulier mansit.

Serenissimum Bauariæ Ducem Maximilianum sæpe ad prolem cœlitus obtinendam, eius per literas subsidia poscentem consolatus est semper constanti responso, non defuturum ipsi successorem, quod tandem videmus feliciter impletum Felicianæ Stomeiæ faciles partus frequenter pollicitus de vno tamen futurum edixit, vt eo non defungeretur, nisi per diros cruciatus, & vitæ præsentissimum discrimen, sed diuinâ ope denìque seruandum; Itaque vt semper felici vsa partione, sic vltimam illam quam præmonstrarat Dei seruus ærumnosissimam habuit, ac tantum non lethalem.

Totis

Totis quatuor annis Neapoli carcere detentos ob ſuſpicionem homicidij fratres duos è Raynorum familia ſemper iuſſit ſperare libertatem, foréque vt abſoluerentur, ærumnis grauibus exantlatis: Alterum tamen ad hæc per literas diffidentiam prodentem, quod eſſet, vt aiebat, à diſceptatore contra ipſos proceſſu longo digeſta lis & multorum examinibus teſtium: certum fecit Pater, fuiſſe contra illos præter adoleſcentulum parùm idoneum, rogatum neminem: quod tunc quidem, vt ſciri ab vllo non potuit, ſic verè præſignificatum deinde compertum eſt: Porrò germani ambo ſententiâ iudicis abſoluti Domum liberi redierunt.

Stephano quoque Porronio claro Lupienſi, & Paulo Carduccio Hydruntini fiſci cauſidico: illi Neapoli coniecto in carcerem, huic ibidem vadimonium obituro, ſalua fore omnia prædixit & ceſſere, vti prædixerat.

Turpiſſimi homicidij, Neapoli damnatus Franciſcus Ziunga Eques Hiſpanus: ſororem Lupiis habebat in Cœnobio S. Claræ; huic per ſchedulam fratris caſum atrocem indicanti, dici mandauit Bernardinus haudquaquam moriturum, nec enim fuiſſe vllo pacto homicidij eius participem, ſed ſua quædam alia delicta mitioribus pœnis luiturum. Liberatus igitur ab vltimo ſupplicio ſententiâ Iudicis iam decreto, ob minora quædam in exilium pulſus eſt.

Valde optabat egens mulier Lupiis degere, quò poſſet opportunitate concionum, & Sacramentorum ſuam fouere pietatem, ſed vrgebat in patriam Melangodunum (Hydrunti Pagum) vt rediret

rediret filiarum pudor, quas ſecum habebat; de hac ſua fluctuatione agenti cum P. Bernardino, reſpondit nihil eſſe quamobrem Lupios fugeret; maiorem natu filiam vita exceſſuram, minorem commodè nupturam; quo in vtroque vatis fidem res ſecuta firmauit.

Franciſco Iacobo Fauellio Iuriſperito, in Placentij Comitis Octauij Vrſini gratiam redire cupienti à quo fuerat ditionis ſuæ gubernatione deturbatus, miniſque territus; reſcripſit Pater, breui rediturum in gratiam, nec diu poſt hominis amicus ſuper eo ad Comitem ſummiſſus, omninò alium inuenit, itáque Fauellio æquum, vt eum valde humaniter dignitati ablatæ reddiderit.

Leonardo Bellio Ciui Lupienſi futurum dixit, vt Garignanenſis Baro placidè cum eo conueniret, & conuenit tandem, omiſſis diſſidiis ex quibus damna maxima timebantur.

Ferrantio Aragonio Hiſpano Equiti autor fuit Hiſpaniam repeteret, ſi vellet præmium adipiſci, quod pro varia ſuâ Neapolitano in Regno procuratione poſtulabat; nihil enim adepturum quamdiu in Italiæ moraretur; expertus moleſtam aliquot per annos prædictionis veritatem: demum in Hiſpaniam reuertit, vbi Prioratu ſtatim opimo donatus eſt.

Ancipitem animo Franciſcum Seuerinum Capucinorum Neapoli Prouincialem de rerum caſu quas inſtituerat in conuentu ſuæ Prouinciæ tractare, corroborauit Bernardinus; aſſerens, quòd eſſent è Dei gloria felicem ab eo ſortituras finem; & ſortitæ ſunt tam ſecundum, vt iis eſſent admirationi qui turbaturi aduenerant.

Nicolaum Mariam de Iudicibus adolescentem Lupiis oriundum, parentes ab scholis remouerant, ne sensim affectus in Societatem eius tandem vellet institutum sequi; Queritanti apud Bernardinum de parum pio consilio Portiæ Venturiæ, adolescentis auiæ, Nicolaus, inquit, extra nostras scholas? heu! misello res perperam cedet; ita verò cessit, vt inde aliquot post annis, præ foribus earumdem scholarum fuerit infelicissimè confossus.

Francisco Mirabellio è Societate scripta Neapoli diligentissimè Lupios transmissa, perierant vectoris negligenti fide, varia interim loca percursantis: solabatur Francisci iacturam Bernardinus, promittens velle se de reuocandâ illâ Dominum precari; bimestre abierat, spémque de cætero Francisco omnem abstulerat, cum Bernardinus ex eo quæsiuit, numquidnam de scriptis: nihil, inquit ille; atque, sub infert Pater, animus suggerit haudquaquam periisse; eo ipso die scripta rusticus ad Franciscum tulit dicens, illa se alicunde ex Lombardia habere.

In procinctu erant Patres duo, vt fœminæ adessent animam expiranti, iussit tum Rector Bernardinus alterum remanere, Hieronymum Pecorarium illò ire, addiditque iret modo lætus, nam fore vt illic consolaretur ipsum Deus, & quia iam linguâ, audituque defectam Pecorarius inuenit, rogauit adstantes quemnam è Beatis illa maximè coluisset, recitandisque Litaniis sanctã Catharinam (quam illi indicarant) iterùm appellauit: hic ægra oculos aperire, Sacerdotem affari, & ecca Pater, ecca dum appellatur hic apparet, iubetque me

me suo nomine id tibi nuntiare. Quæ res Sacerdotem cœlesti perfudit voluptate.

Iactabat rumor dixisse Bernardinum, se ingenti suo cum gaudio temporis eius fore spectatorem, quo S. Ignatius inter Beatos referretur; Interrogatus sæpè à variis an dixisset, constanter affirmauit, & factus est denique vaticinij & voti, optatæque lætitiæ compos. Sed hîc insistamus necesse est, narrationemque hactenus prouectam in sex præterea capita scindamus, ne hoc caput in librum porrigatur.

CAPVT XXIV.

Bernardinus multis futuram valetudinem prædicit.

LVpiis ægrotans Vincentius Maria, Zimarius ad extrema deuenerat, ac frigescentibus iam membris paucas intra horas efflaturus animam videbatur. At enim Bernardinus sæpe hominem visens domesticis semper asseruit, & victurum & diu victurum, & multis in vita casibus conflictandum, nec ab sententia destitutus, licet audiret ab vno è Patribus indidem redeunte Zimarium mori, & iam pro mortuo à familiaribus lugeri; Quo Viri Dei tamen intrepido dicto, iacentis propinquos is Pater statim recreauit; ægrotatio remisit, ac deinde penitus abscedens hominem reliquit, saluum quidem & sanum, sed quem domesticis calamitatibus diu vidit patria agitatum.

Ioannem Antonium Moſcum Regium Balliuum Lupiis ægrotum, mortique proximum inuiſens, prehenſo brachio, IESV, Maria inclamauit, tum verſus ad coniugem, ſaluum fore maritum edixit, qua licet nihil ſpei reſumente, & irridentibus cæteris, dicti tenax ſecurè perſtitit; die autem poſterâ ſic morbus deferbuit, vt reducti ad curationem medici diſcuſſum tam ſubitò omne periculum ſtuperent.

Laborabant febri admodum dubiâ Cæſar Piſacanius, & ſoror Petronilla; his ſoror altera Margarita Patris opem rogatura in Collegium venit; qui etſi ægrotos non vidiſſet, ſanandos illi affirmauit, ſed lentius fratrem, ſororem celerius, quanquam hæc fratre deterius haberet; paucis itaque diebus ſoror, bimeſtri ſpatio vix frater conſanuit. Fuit huic eidem Petronillæ filius Ludouicus Maria Sampetrius, hic horrendum in modum inflatus, hydrops à Medicis extra vitæ ſpem vllam dicebatur; Matrem Vir Dei certiorem fecit valetudinis rediture, fuitque illius, Medicorum prognoſtico verius, altero enim menſe ægrotus valuit.

Amiciſſimus Bernardino Dominicus Baſſonius per certum Curſorem preces illius Bario petiit, quibus vxor Blanca Maria Iouia Genuenſis, aut defungeretur viua præſenti diſcrimine, aut ſi Tabellarius Lupios ſeriùs perueniſſet, mortua ſaltem iuuaretur, adit Baro Dominici cognatus, cui iſta mandarat, Collegium, & cum eius Rectore Bernardini cubiculum ingreſſus, ad ſe ſcripta exponit, cui Pater intrepidè, reſponderet fidenter Baſſonio, vxorem periculo eximendam, referentique

Baroni

Baroni, forte iam mortuam, quòd illi Medici vix modicũ tẽporis aſſignaſſent. Scribe(inquit denuo Bernardinus)vti iam reſpõdi; Medicis enim leges Hippocratis,& medendi, ego leges attendo precandi medicis illis tutiores. Renuntiauit Barium ſollicito patruo per literas Baro prædictionem Viri Dei,quæ comparatis diebus in id tempus deprehenſa eſt incidiſſe, quo interitura vt credebatur, ægra, exitij loco refocillata eſt, vitáque in tuto poſitâ, morbum penitus ſuperauit.

Vrgebat crebris nuntiis Bernardinum Ioannes Baptiſta Guarinus Sancæſarienſis Baro (qui locus Lupiis tertio abeſt milliari) vt Franciſcam Somentiam coniugem periculosè decumbentem apud Deum haberet commendatam mitteretque ad eam aliquid, cui eſſet ore manúque benè adprecatus: aquam puram, cui benedixerat, ferri iuſſit, dicique, ne quid mutaret, nec enim fore mortiferam ægrotationem, in dies tamen cum ingraueſceret, nec præter exiguum panis aquâ illâ imbuti quicquam admitteret Baronis accitu P. Annibal Vitalis mittitur paraturus illá ad vitam meliorem abeuntem: Bernardinus lætus lætum dimiſit, iret porrò ad opus charitatis, ſed ægram ſuo nomine ſolaretur certæ fiducia ſanitatis. Iuit, audiuit, ſacro Viatico inſtruéndam curauit, redúxque ſignificauit ſeni vix illi vitæ pauxillum reſtare; Imò, inquit, Pater,certò mea filia valebit; & hoc illi à me, ſi redieris,confirmato. Reuocatus Annibal die inſequenti, vt adeſſet ſacro oleo inungendæ, ac ſtatim morituræ, tantum abeſt vt vaticinio Bernardini tam aſſeueranter iterato Baronem & cæteros recrearit, vt percule-

rit potius ratos hominem improuidè falli, suaque auctoritate excidere. Quid plura? vngitur ægrota, Deo ritè, Sanctisque committitur, extincto calore ac sensibus, domi pro mortuâ lugetur, mœsto foris maiore in Templo, Campani æris sono; abluitur, comitur, vestitur; cum tibiarum alterâ induendâ, residuum quiddam exilis motus in faucibus videre sibi visa ex ancillis vna, reliquas inhibet; reponitur in lecto corpus; ori liquoris cardiaci aliquid inditur, quo excitata oculos aperit, loquitur paulatim viribus augetur, paucis diebus integrè consanescit tam attonitis omnibus rei nouitate vt dubitarent suis ne precibus Dei seruus ægram persanasset, an verò mortuam suscitasset.

Idem Vgentum misit, qui Ferrantio Pandonio Comiti febri sæuissimâ tum ardenti, nuntium ferret valetudinis secuturæ, moneretque sine mœrore esse. Idem Cæsaris Saraceni, qui Neapoli periclitabatur, sanitatem vxori prænuntiauit. Idem vni ex Cognitoribus, Ludouici Nicuesæ ibidem ægrotantis. Ascanio autem Sanctorio è Societate Adiutori, morbum vitæque ex eo discrimen, ac valetudinem denique sed lentam, seramque; P. Hieronymo Melendino Barletæ decumbenti, citam, Marco Antonio Seripannio ægrotos liberos sæpe literis commendanti, hunc morbo cessurum; alium futurum superstitem, istum diù pugnaturum, tandemque victurum. Abbati Achilli, Nardensi Præposito, duos ex fratre filios paruulos Nardi grauiter laborantes superiores periculo fore; Quæ vt erant Dei famulo præmonstrata, sic ad amussim omnia venerunt.

Agebat vxor Fabritij Rai iam biduum inter

carnificinas

carnificinas partionis,quibus perfuncta sed planè exhausta omnem obstetrici spem vitæ abstulerat: Sed Fabritium supplicem & auxilium vxori, ac periclitanti æternùm proli,enixè flagitantem, securum fecit Bernardinus,vxorem scilicet parituram,datâque in manus pixidulâ; hoc, inquit, illi Beatæ Irenes gossipium imponito, *Pater* & *Aue*, si modò hæc poterit, adiunctis, & matrem cum prole scito futuros incolumes;hoc dicto,factóque fœtum continuò eiecit, sed nihil vitæ præferentem, quâ lamentabili specie communem lætitiam euertente,Parens infantem intuitus altúmque suspirans;& potest,ait, Deus immortalis hoc fieri? nempe intelligebat,vt interierit, quem victurum spondebat Dei seruus,ad quæ verba infans cœpit, ore diducto respirare,sacróque mox fonte ab obstetrice tinctus Caroli nomine, non solum meliùs habuit, sed valetudine vsus est maximè secundâ; Matri ex præterito labore ad extrema denuò redactæ misit Bernardinus qui certò polliceretur sanam fore, vt tertio post die contigit.

Philippo Matthæo Comiti Palmeregiensi Franciscus filius à morte non multum aberat, cognito Bernardinus casu scripsit ad Comitem,certò adolescentem restitutum iri. Huic idem de altero filio ægrotante affirmauit, si quam ad eum transmittebat Christi imaginem ei admoueret. Sed eumdem aliàs morbo tentum hortatus est, vt se longâ & forti patientiâ armaret;vtque in cæteris dictorum veritas constitit, sic intellectum est quid vellet,dùm conspectus est Alexander multos annos eo morbo languere.

Theophilum Zimarium iuuenem Lupiensem

turgens guttur ſtrumarum ſpecie deformabat; ſo-
rori fratris ſortem dolenti reſcripſit vir Dei pede-
tentim Deum ſua beneficia largiri, ex quo len-
tam fore adoleſcentis reſtitutionem omnes nec
falsô coniecerunt.

Infeſtabatur pariter annum iam integrum quo-
dam ſeu genere, ſeu ſimilitudine ſtrumarum Dio-
nyſius Theophilactus ex ſacrá Minimorum fami-
lia, malóque remedia omnia eludente, inuitaba-
tur ad ſæculum repetendum, quod tractans cum
Patre Bernardino, vetitus eſt de hac re cogitare,
breui enim diſcuſſas iri eas faucium glandes &
quidem nullius remedij ope, vt ſunt re ipsâ penitus
diſcuſſæ.

Martia Zimaria Fragagnanenſis Baro aliquot
iam dies cibum reſpuerat, medicus morbi vim
veritus, de confeſſione, viatico, ſanctaque vnctio-
nem in memoriam reuocat ægrotanti; Quæ dum
cognata Bernardino refert, querens egregiæ fœ-
minæ iacturam; Ille qui ægram non viderat, nul-
lam eſſe ait mœrendi cauſam, illum ſiquidem
morbum non fore Martiæ lethalem, hoc nuntio
Domus ſpem inter metúmque attonita, ægram vi-
dit, eo ſtatim audito, habere mitius, paulóque poſt
optimè valere.

Graues ſpinæ dolores Ioannem Iacobum Mar-
tenam lignarium fabrum Lupienſem quatriduum
tenebant. Quæſiuit per fratrem ex Patre Bernar-
dino, quid ſe futurum eſſet, tulítque à ſene reſpon-
ſum, mox mox perſanandum, quo accepto æger
lecto repentè exiliit, planéque ſanus effectus
eſt.

Franciſco Antonio Giornio filius Ioannes Pau-
lus,

lus, boâ ſeu papulis ægrotans dubius medicis putabatur, ſed patri ſanandum nec fruſtra edixit Bernardinus; Iulio autem Coſmæ cum Pamphilus parens grauiſſimè haberet, euaſurum, pariter tam verè, quam aſſeueranter præſagiuit.

Hyppolitam Bonoriam ad Sancti Ioannis Lupiis monialem arcebat pudor ab curatione occulti carcinodis; eam re cognitâ Bernardinus in propoſito confirmauit nuntians ſcilicet breui perſanandam; quòd abſque vllius operâ, & ne ipsâ quidem aduertente ſucceſſit.

Enecabatur dolore lateris Antonius Cucurrius ad decimumquintum iam diem ſæuiente; huic Pater de valetudine breui integranda per ſororem miſit, ipſeque nocte inſequenti hanc recuperauit. Antonio Santouito preces per nuntium petenti idem eodem exitu remiſit.

Veſpaſianum Cauallarezzum morbo peſſimè laborantem inuaſit lethargus tam pertinax nullo vt ſuſcitabulo moueretur, medicique cenſerent conclamatum: at in oppoſitum vir Dei cenſuit, & vicit, lethargo ſcilicet vltrò, & quam primum recedente.

Miſit etiam aliquando ſacrati Agni ceram opertam ſerico ad Bernardini ex fratre filij vxorem, mandauitque decenter aſſeruari, adhibitam enim malè habentibus filiis, certo iis pharmaco futuram; & verò aliquot èxinde annis eorum vni Hieronymo (qui poſt Societati ſe tradidit) grauiter ægroto applicita ſaluti ſtatim fuit. Dionoræ Item Guidanæ remedio ſimili curatum iri brachium cum dixiſſet, dicto experientia ſubita fidem fecit.

Pomponius Guarinus ex febri de vita ambiguus, ſacerdotem vocauit, eodémque nuntio Bernardinum fecit ſui periculi conſcium: hic verò ad illum Beati Caroli perferendam dedit Imaginem, ad quam ſi ſemel oratione Chriſti, & ſalutatione Angeli precaretur; confeſtim de morbo triumpharet, quod vix præſtiterat, cum eiecto ex ore lumbrico grandiore, momento liber fuit. Aliàs ad eius filiam Irenem in pari diſcrimine Beati Ignatij miſit Imaginem, quâ ſibi admotâ, morbum eſſet actutùm depulſura; paruit & vaticinij exitu eſt potita.

Aurelliam Venturiam ad B. Ioannis Sanctimonialem trimeſtri ſpatio dira ſciatica torſerat; monitus Pater precatoriam Coronam cum Icunculâ mittit, addens eorum applicationem cita valetudine penſandam; hanc item ſex menſibus brachio dextro captam, vſu brachij redonandam, ſi crucem quam ipſe mittebat adhiberet; quod vtrumque abundè adepta eſt.

Rebecam Penam hauſto dum vehementer ſitiret potu mox talis affectus corripuit, vt venenum bibiſſe, vel faſcinum ſuſpicio eſſet: vſurpatis incaſſum multorum operâ exorciſmis, poſt menſes demùm duos Thomas Licciardus coniux Bernardini conſilium exquiſiuit, cui Dei famulus, benè inquit, fili, vxori futurum eſt (de hoc ne dubita) ſed non adeò citò: Iuuabitur verò à Sancta Martyre Irene, ſi has ſecùm reliquias habebit; ſimul verò cartulam tradidit cum goſſipio Martyris oſſibus admoto; Poſt verò non multum temporis reuertenti, promiſit breui morbo abſoluendam, quod decurſis tandem diebus duodecim, aciculis dua-

bus

bus vomitu reiectis contigit.

Francisco Philomarino Barone Ruffanensi (quod est Hydruntini promontorij Castrum) ex maligna febri deposito, rescripsit ad coniugem Violantiam Sangriam Bernardinus asseuerans, breui valetudinem ægro perfectè reparandam. Eadem expectatione Archiepiscopum Hydruntinum Lucium Moram febri correptum ancipiti securum fecit. Eâdem de Isabella Aquauiua, de cuius ambigebatur vita Nardensem Ducem Materteram, rato vbique promissi exitu.

Antonellus Verdescus de morbo quo conflictabatur per amicum Doctorem Patri nunciauit, amicum admonens eius verba vt diligentius obseruaret, futuram enim ex iis non dubiam de vita vel morte coniecturam; excepit Doctorem vultu hilari Pater, dixitque Antonello commodè futurum; Quâ ille responsione primum recreatus, vires deinde integras resumpsit: Vicè versâ Doctorem eumdem cui à Chirurgo carnium frusta exscindebantur ex humeris cum Antonellus Patri optaret curæ esse, suscepit libenter pro illo se supplicaturum, sed addidit absque hæsitatione, citâ fruiturum sanitate.

N. Lupiis Maximillâ Sancti Ioannis Præside Abbatissâ in extremis agente, commendantibus illam germani filio, & sacerdoti cuidam respondit, quod res sequens probauit, restitutum iri pro certo valetudini, tempusque Præfecturæ cum bona salute honorificè expleturam.

Sybillæ Cucurriæ die festo inuentæ Crucis acutissimus accidit scapularum dolor, se tamen in Templum, Patri de more confessura ægerrimè traxit,

traxit, cui Pater incommodum narranti retulit, vt cum ea Christus illam suæ crucis communicarat partem, sic non fore diuturnam; his læta regreditur illatoque mox domum pede, nihil eius doloris residuum esse, sibi gratulatur.

Iulio Cæsari Tauro fabro ferrario ruptum pectus confertim sanguinem profuso vomitu eiectabat, nec vllum à medicis leuamen proderat, sed audito à Patre nuntio quo iubebatur sanitatem quamprimùm alacriter expectare, cœpit continuò ita periculo exire, vt exiguo tempore artem repeteret, exerceretque absque detrimento. Taceo reliquos Lupienses, quibus sæpe, at semper verè de cessatura ægrotatione vaticinatus est, vt veniam ad

---

CAPVT XXV.

De iis quibus mortem Bernardinus prædixit.

IN lectum deciderat Ioannes Petrus Calous Doctor, id vbi primùm resciuit Pater priùs ad visendum, animandúmque accurrit, quàm ingrauesceret mali vis. In discessu verò Portiam Tomasam iacentis coniugem celatam noluit, illum à Deo reuocari, proinde ad patientiam compararet sese: Tam inopinatum, luctuosumque omen Domum attonitam perculit, sed paucis diebus, mors ægroti nimis verum ostendit.

Catharinæ de Georgiis Infantulæ boa tot papulis

pulis oculos oppleuerat, vt de cæcitate timeretur Parenti identidem in eius gratiam diuina præsidi flagitanti Bernardinus satisfecit in hanc senten; tiam; Catharinæ oculis nihil esse metuendum, sed innocentes animulas libenter Deum sibi decerpere: nec verò medici aut quisquam familiarium de puellæ morte suspicabatur quidquam, paulo post tamen consanescenti ex oculis, ex boâ deterius factum est, eáque demùm interiit.

Diophebum Antollietum ventris quædam tormina vellicabant, huic familiares, admodùm inuiti, seruum Dei accersunt, tantùm ne repulsâ illũ offenderent volentem vt accerseretur, Patrique ipso in aditu excusant, quod tam leui de causa molesti fuissent, verum ipse haud leuem sed pernecessariam asseuerat, & hanc Diophebo postremam fore ægrotationem; Tum eius cubiculum ingressus necdum quidem eatenus decumbentis, excepit confitentem, & crebro postea solandi officio functus sanctâ beneuolentiâ adstitit morienti. Superfuit defuncto filius adhuc tener ardentibus papulis affectus; hunc item commendantibus domesticis, edixit breui Angelis adscribendum, ac licet deinde huic melius factum cognouisset, eumque insistere pedibus & inambulare, moriturum nihilominus disertè confirmauit, vt re vera post biduum accidit.

Sobrina Comitis Pulmeregiensis Camilla Venturia, edita infante, censebatur nulli iam casui obnoxia; adit Bernardinus puerperam, hortatur quantocyus Sacramentis ad profectionem instruatur, in cœlum enim à Deo vocari; stupere domestici nuntiatione subitâ, nullâq; nixâ futuri specie:

nam

nam & aberat febris, & nullâ morbi vmbrâ, malive alterius, suspicionem mortis, nedum opinionem facere poterat, post paulum tamen febris ardentissima irruens paucis illam diebus assumpsit.

Mutatione cœli, Syrij ardoribus infesti morbum contraxerant Pomponius Raynus, & Innocentius Barbicottus eiusdem seruus, vtrique ad Patrem deprecatores adleganti, hero quidem significauit seruatum iri; seruo autem iter compararet, quòd esset quamprimum in aliam vitam confecturus, neutrum verò iniecta expectatio fefellit.

Antoniam Stomciam S. Francisci Tertianam multos menses ac fortè annos languor quidam lecto affixerat, cum anno huius sæculi decimo pupugit illam desiderium vehemens spectandi sacri apparatus qui excitabatur in diem S. Ignatij recens inter superos relati, & annuit pietati Deus, surgit valens, vigensque, Societatis Templum toto illo octiduo crebrò adit, ipso S. P. Ignatij festo apud Bernardinum de more peccata deponit, narrátque concessi beneficij seriem, rogans per eum obtineri, vt Deus stabile, perpetuúmque esse vellet, cui senex perspicax diuinorum, definitum fuisse suis limitibus, concessumque duntaxat ad celebritatem sanctorum dierum, proinde ad morbum atque adeo ad mortem expedita esset, quòd illa compluribus retulit, ac sequenti Augusto in ecticam recidens, proximo Decembri obiit, post data sortis ad quam properábat præclara indicia.

Nucensium Dux Iulius Aquauiua certior effectus parentem Comitem ex febri decumbere, ipse Lupiis tunc agens Bernardinum è vestigio conuenit, interro

interrogauitque de illo quid sentiret, is autem consulto per precationem Deo (ex qua succutiendo, trahendóque fuit sensibus reddendus) insinuauit prudenter Duci, succubiturum periculo Comitem vt breui succubuit, idémque multis exinde annis ægrotanti Duci, parique exitu suggessit.

Adlegato ad se Hieronymi Verardi adolescenti filio, qui patrem commendabat aliquantulum ægrotantem; fer, inquit, hunc à me Parenti globulum, cui Summus Pontifex Philippinarum indulgentias attexuit, inter quas est plena omnium condonatio pœnarum in supremo vitæ articulo obtinenda; dic, piè illum secum gestet, quo fiat eius gratiæ particeps. Ex quibus æger mortem sibi portendi non dubitans, adornat per sacra mysteria discessum, & paucorum dierum spatio moritur.

Pamphilium Cosmam inuadente morbo, hortatus est eius filium Bernardinus, vt Deo se totum permitteret, illum enim morbum exitialem Patri fore, quem dum hæc diceret nondum viderat Bernardinus.

Alphonsus Camenus in Tribunali Regio Cognitor, vt primum cœpit ægrotare, quæsitum est de illo ex Dei famulo & disertè ac verè respondit, moriturum.

Accitus ab Ioanne Montefuscolio molestissima presso pituita, sed occasione diei festi, volente in priuato sacello Christi corpore refici, post confessionem exceptam valedicens monuit de vicina morte, ad quam se accingere deberet, eum enim fore (vt paulò post fuit) distillationis illius finem.

P. Simoni Franco è Societate inter salutandum
dicenti,

dicenti, non diù pòſt inuicem reuiſuros (erat enim quarto ab hinc menſe Lupios reuerſurus) minimè, ait ſanctus ſenex, in hac vita, ſed in alterâ, & P. Francus paucis diebus interiit.

Lucas De Franchis, Vgentinis in Epiſcopum conſecratus mox valetudine affecta illius interceſſionem literis petebat, quò breui conualeſcens ſponſam Eccleſiam conueniret; cui Pater, Deo aliter viſum à quo migrare in aliam ſedem vitamque iuberetur; & verò prius ex iſta migrauit, quam ſuam poſſet Eccleſiam adire.

Helenam Stauianam eius qui Lupiis fundarat Collegium ſororem annis compluribus valetudo infirma detinebat; illa interim apud vnum ex Noſtris octauo ſaltem quoque die animum expians, Bernardinum interdum adhibebat, explicabatque illi conſcientiæ ſuæ rationem, cum ecce tibi, die quadam nec vocatus Pater, nec vllo morbi nouo caſu, acceſſioneve inuitatus, ad eam ſe confert, aulámque ingreſſus familiaribus primum dicit Helenam à Deo euocari, tùm illi hoc ipſum indicans, hortatur, vt longinquam illam ad profectionem ſeſe expediat quam ipſa non multis poſt diebus ſalutis ſuæ non ambiguam ſpem ſuperſtitibus relinquens ſuſcepit. Præuidit etiam mortem Claudij Aquauiuæ Societatis Præpoſiti, & aliorum non paruo numero de quibus poteſt in cauſæ ipſius Inſtructione Iuridicâ legi, ſed quos multitudo ac ſimilitudo ab hoc loco melius excludit.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Multa in ſtatos, certoſque Articulos Temporis prædicit.

THomas Meſcambrunus in Collegio Lupienſi Philoſophiam profeſſus Concluſiones indixerat in diem Dominicum à diſcipulo propugnandas; ſed antecedenti die Lunę Febri tactus calumniæ anſam æmulis præbuit gloriantibus morbum fingi ad declinandam arenæ aleam, nec audere Thomam ſecum palàm manus conſerere; hoc vt ſpargi per vrbem cognouit Bernardinus, offeram ait, pro illo Virgini precatoriam Coronam, ac licet febris laborem minetur diuturnum, fallet nihilominus, & P. Thomas in Dominicum diem valens, ac vegetus tuendis Theſibus præſidebit; vti dixerat, ita prorſus fuit, ingeniique præſtantia, & acumine reſpondendi falſam ſciolorum iactanctiam Thomas diſſipauit.

Eodem venerat Terzanus Marchio Ioannes Baptiſta Azzaius cum aliis è nobilitate Primariâ vt Bernardinum ſalutaret, iamque ſub aliquot dierum moram illinc diſceſſurum & valedicentem in Collegij Sacrario, fixis oculis aliquamdiu intuitus Pater admodum perculit, vnde comitibus è ſacratio egreſſis, nouitatis cauſam ſeorsùm roganti, ſeriò reſpondit. Aduerte quæſo animum Marchio, & Deum excipe per me ſalutariter admonentem, duorum menſium ſpatio, ipſoque B. Magdalenæ

die, Iulij vigesima alterâ vitæ tibi finis futurus est: Age itaque ac res animæ compone, vt te ille discessus paratum ad iter inueniat. Hæsit hîc Marchio paulum attonitus, donec requirentibus quid id esset, singula enarrauit, cœpitque vt Domum attigit, crebro Sacramentorum vsu, pœnarúmque vltrò assumptarum, & re domesticâ ordinanda mortem præuertere; quam & die condictâ expectare se aiebat, & magna sua consolatione, adstantiumque admiratione feliciter obiit.

Romam petierat ante duos menses Marcus Antonius Manasius Clericus Lupiensis, nec patri iam seni contra quàm erat pollicitus quidquam per id tempus dederat literarum, Patris lamenta Bernardinus, & suspiciones solabatur asserens filium viuere, ac valere; Die verò quadam in cubiculo adeuntem, ac veluti certam, aut filij mortem, aut sinistrum casum deplorantem, explicato vultu respiciens, scito inquit, Marco Antonio bene esse, & proximo sabbato venturam ad me ab eo epistolam quæ ad te quoque literas includat, quod tàm affirmatè asserebat, vt tenere iam illum epistolam putasses, ac venit illa præfixo tempore, miréque recreauit illum Bernardini pœnitentem.

Vrebat febris Franciscum Marescallum, & quartâ noctis horâ tàm dirus vrgebat paroxysmus, vt acciti Medici dicerent, præter paucas horas in viuis non fore; his mater anxia Bernardini fauorem per filium natu minimum precatur, quem cum amicissimo Doctore in Collegium mittit, ducuntur in eius cubiculum intempestâ iam nocte quiescentis, memoratoque discrimine, Ite, inquit, nihil istuc futurum est, nec petit iugulum is labor

qui

qui recens ægroto ingruit, ſed eſt initium febrilis acceſſus peſſimi, qui diu crudeliter hominem tenebit; verùm, vt remittet, ceſſabit pariter morbi vis, pergetque ſemper ægrotus in melius, & hæc ipsâ quam præmonſtrauerat ſerie cuncta ſucceſſerunt.

Iniquè admodum ferebat Fuluia Bellia Sancti Benedicti Tertiana, quemdam iuſto ſæpius, Domum nobilis ventitare volebatque auertendo illo, anteuertere, quod iure metuebat, ſed grauius aliquid extimeſcens rei conſcium fecit Bernardinum cui ille ſilendum ſuaſit, futurum enim octo poſt diebus alia de cauſa vt homo perditus ſuas ſibi res habere iuberetur, & quidem vix præterierant, cum Ædium Dominus procul faceſſeret, mandauit, vt rixarum vnâ materiam amoueret, quam ille cum quodam ex famulis miſcere cœperat.

Dianora Verardia, Illuſtri fœminæ cuiuſpiam indicium factura quod norat perperam ab ancillis agi, vt eas corrigeret; ſuſpicabatur apud illam ſe parùm creditu, parum gratiâ dignam fore; perplexum animum Dei ſeruo cum explicuiſſet, auctor fuit admonitionis in diem quintum differendæ; rem enim aliâ tunc viâ ad aures Dominæ peruenturam, quâ iam intellectâ, Dianoræ indicium cum multa gratiâ, vt verè contigit, excepturam. Eadem maritum ſpe vitæ pertenui iacentem Patri cupiens cordi eſſe, coronam ab eo accepit, quam ægrum volebat in diem poſterum tenere, illa enim die ſpem vitæ certam recepturum, quod manifeſtè ipſa res probauit.

Thomas Cauarletus prouinciæ cognitor vi

morbi proſtratus iam ſe ad mortem Christianam per vſitata præſidia, Patriſque preces comparabat, quem Pater confirmari iuſſit; nam die Mercurij quæ in morbi ſeptimum cadebat, copioſo ſudore liberandam. Lucretiæ verò Petrazzolæ, cuius non ſemel facta eſt mentio, ſororem Monialem prædixit triduò ſanandam, licet tunc ferè in extremis eſſet. Donatum Antonium Curſium medicorum calculo conclamatum Matri aſſeruit ſanum fore, ac die tertio ad ſe in Collegium venturum, quæ omnia quàm ſerena in luce proſpexiſſet, clari euentus docuere. Quid quod Franciſcam Lombardam Comitem, Iſabellæ Mendozzæ filiæ auxilium poſtulantem, quam ſubita humorum alluuies præfocatura videbatur, ſecuram fecit fore Iſabellam horæ ſpatio ab iis liberam.

Dionyſium Theophilactum ex ordine Patrum Minimorum ſubnata linguæ renuncula angebat, fruſtra is ferrum & alia expertus ad Bernardinum denique confugit, cui Pater bono animo ſis, mi frater, Intra menſem enim planè conſaneſces; hic interim medicum nactus eſt, qui nouâ ſectione morbum penitus ab eo abſtulit.

Ipſemet de ſe Bernardinus cum febricitaret per Decembrem eſſetque vltimus Anni dies, vigentis mali accerrimus, dixit nihilominus futurum poſtridie, vt poſſet in Templum ſe conferre, dareque ſacro, & confeſſionibus operam, idque ipſe abundè præſtitit.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Multa & arcana introſpicit.

PAlmerigenſem Comitem viſens ad Sanctæ Mariæ de nebulis, (Qui Pagus ad Comitem ſpectabat)audiuit ab eo de puteis qui magno numero illic erant,ſed inſalubribus omnes aquis,ita vt miſeros incolas aquam procul petere oporteret ſub hæc in Palatij aream cum ambo deſcendiſſent, vitioſis item puteis frequentem , canna locum in meditullio areæ Pater deſignauit , vbi affirmauit aquam potui aptam abſque vllo dubio latere ; foſſoribus igitur confeſtim adhibitis , aquam inde Comes,tum optimam , tum Pago miranti, atque geſtienti ſuffecturam eduxit.

Angelicam Colonam geminorum aborſum paſſam ſcrupuloſior deinceps vteri cuſtodia,& obſeruatio tenebat , committebat ſe Patris orationibus , ſedebatque ſemper ferè immobilis & octauo iam menſe propinquum partum opperiebatur : At Pater Iuliæ illius filiæ in Templum accerſitæ;Mone , inquit,Matrem,nihil eſſe quod conſueto miniſterio abſtineat,nec enim quam putat grauiditatem eſſe ; putabat hoc tamen etiam obſtetrix, creſcebatque in dies tumor , quem nullo modo Pater ſpectauerat ; verum decimo tandem menſe, abſque partu , dolore , arte ve prorſus detumuit.

Camillæ Marullæ Barletenſi Lupiis tranſeunti, multiſque aliis , dum vterum gererent , de prole

masculâ edixit quam essent edituræ. Lucretiæ Saraceniæ de prole fœminea; Annæ Adornæ biduo in partu laboranti, de mortuâ; Soræ Ducibus recens coniugatis, de impedimento, non vti rebantur venefico, nec amborum, sed vt post constitit, vnius & quidem naturali.

Puellæ verò admodùm nobili, quæ educabatur Lupiis in Cœnobio Virginum non eius nuptias, sed probrum à perfidioso iuuene ambiri: Venerat hic simulato cultu, sed puellæ quis esset aperiens, cum illa de nuptiis egerat, hac verò tempus consultandæ rei prudenter sumente, exquirentéque per nuntium Bernardini mentem, scelestus interea iuuenis nocte quadam, cœpit sericis scalis ascensionem in Cœnobium moliri, sed gradum vix primum presserat, cum reuulsæ scalæ saxum ingens traxerunt, cuius prope ruina obrutus est, ac horrore quidem periculi resipuit, sed inde patuit, quam verè illius animum virgini Pater detexisset.

Ioannem Iacobum Muttulum Iurisperitum, ingens calculi (sic medici aiebant) excruciabat dolor; Is autem de se actum statuens, quod mortem præferret sectioni, Bernardini gratiam apud Deum per literas rogauit; rescripsit ille, mœrorem poneret, non esse illud ex calculo malum, idque breui, vt reuerâ euenit, sine vlla dubitatione desiturum.

Lodoicum Straffellam Cupertinum Sacerdotem Theologum de magnis secum conscientiæ officiis acturum, ipso cubiculi ingressu de nomine salutans, quamobrem venisset distinctè indicauit, licèt nunquam hominem vidisset.

Tarentinis

Tærentinis Ciuibus duobus, pium ex se munusculum petentibus alteri Beatæ Magdalenæ, Beati Francisci Imaginem alteri protulit, vtrique planè ex animi voto, præsentique tum cogitatione quam ne verbulo quidem significauerant.

Octauio Nuccio Nardensi Nobili, cui nunquam fuerat collocutus, cum ad se Lupios venisset, contra iamdiu fascinatas Clarissimæ fœminæ nuptias amuletum aliquod relaturus, in cubiculum, subeunti, aduentus causam nulli mortalium, nisi coniugibus, & nuntio cognitam illicò anteuertèns de S. Irenes gossypio ferendum ad illam, tradidit, quò esset ab ea quam patiebatur molestia immunis.

Iturus Neapolim Paulus Carduceius in Tribunali Regio fisci aduocatus valedicebat Patri, expetebatque illius preces ad negotium quoddam suum, cui Pater nihil esse de felici exitu ambigendum, Prouincialis enim commendatitias quas ferebat mirum quantum ponderis habituras; & eæ quidem habuerunt, sed nihildum ei aduocatus indicij fecerat de illis à Prouinciali à quo tunc ipse rectà veniebat, obtentis.

CAPVT XXVIII.

Longè dissita prænuntiat.

PHilippus Spinellus Cardinalis, ad S. Christianæ in Calabria, alterum iam mensem de vita dubius, post pia vota & sectionem poplitis absce-

dentis ſexies iteratam, omnemque induſtriam chirurgorum, Patris opem per literas petiit; Accepit eodem tempore, Decembri ſcilicet, eodémque argumento à Patre Portio Antonio Spinello è Societate IESV Cardinalis fratre, cui præmiſſis ad Deum precationibus Bernardinus ſpero (reſcripſit) diebus his ſacris ab eo curandum Puero, qui natus eſt nobis; & verò ſecundâ poſt Natalem die conualuit.

Marcum Antonium Condum Lupienſem Venetiis morbus ad extrema redegerat, ſcripſerantque Lupios famuli paucas illi horas supereſſe. Quare ab eius amico Doctore rogatus eſt Pater, vt pro defuncto celebraret; ſubſtitit Pater, dixitque ſe quidem mox celebraturum, ſed Condum viuere; intellexit Doctor, ſalutem eius bono loco eſſe; peractoque ſacro, illius animæ commendationem iteranti, demum apertè Pater, haudquaquam mortuum, ſed valentem, ſanumque reſpondit. Quibus ſuſpenſi cum matre cognati, primo Tabellarij appulſu cognouerunt, hærente vix labris anima improuisè recreatum, poſtea omnino vires collegiſſe.

Furibundo qui ſe adierat, ratum innuptæ ſororis necandæ conſilium ſuum retecturus, ſeuerè prohibuit quidquam in illam machinari, nec enim grauidam vllo modo eſſe, ſed ægrotam; viderat nempe dum pro illa oraret clandeſtino partu fœtum edidiſſe.

Principio ſuæ Lupiis habitationis nuntium accepit à parturiente quæ preces illius flagitabat, cumque iam aliquas fudiſſet, ſignificauit nuntio infantem ab ea in lucem effuſum, rogatus verò ſimpliciter

pliciter ab vno è Patribus, vnde id resciisset, pari simplicitate dixit se id diuinitus precando habuisse.

Sub idem temporis Princeps mulier Lupiis cum esset accepit, de Marito Duce, semotis procul in regionibus ægrotante, misitque ad Patrem Bernardinum vt eius præsidio leuaretur; verum is effecit apertè vt ipsa moneretur, maritum vita functum, quod illâ horâ contigisse deinceps est cognitum.

Camilli Staiuani è Societate Sacerdotis morte solito signo indicatâ, in genua procidit Bernardinus: illi animæ Deum propitiaturus; Interim socio in cubiculum ingresso, quis obiisset, interrogat, auditóque de Camilli morte addit alium item cum eo migrasse; negante socio præter Camillum obiisse quempiam; mihi, inquit, videntur duo mortui fuisse. Quod dum varia per domum interpretatio iactaret, perlata postridie mors est Adiutoris Iacobi Caluiani in villa Collegij diei itinere defuncti, qui ad messem legendam illic versabatur.

Romanum Lubranum multum restitantem Prorex Neapoli Lupios destinarat, préceptoris Regij munere functurum, quod idoneus alius non adesset; sub aduentum statim, officij gratiâ Bernardinum salutauit, qui se illius gaudere conspectu dixit, sed dolere præfectum muneri, quod esset illi molestiæ plurimum, negotiique creaturum; alacer egit, quatriduo Lubranus post verò tam atro mœrore pressus est, vt diu noctúque angeretur: tandémque in Collegium veniens, profectúsque ad Bernardini pedes, vrgeret lachrymans, vt sibi à Deo

L 5 missionem

missionem ab imposita curâ exoraret, huic verò Pater, non abs re profectò, sed iure ac meritò dolere, verùm consideret, nec enim diu fore cum successorem esset habiturus, cumque is extra spem id esse quereretur, quòd dixisset Prorex adesse neminem cui credi administratio illa posset; Imò intulit Pater, hoc habeto, vt tu illi primum de tua inualetudine innueris, missurum illicò ex Rationalibus successorem: Audiuit cõsilium Lubranus, eo quem optauerat successu, de quo Lupiis cum sciret nemo, vel scire potuisset, interea tamen confirmauit Lubrano Pater, confectam Neapoli rem esse, ac insequenti septimana daturum se in viam Syluestrum Realem, qui ad succedendum fuerat ex Rationalibus delectus, cuius vaticinij fidem aduentu suo Syluester fecit.

Vincentius Matresius Rector Lupiensi Collegio dictus præmisit literas, quibus se aiebat, illic ocyus adfuturum, equos enim ab se in diem posterum conductos; hinc supersedebat Minister Collegij ad eum de negotio scribere, quod expediri ab ipso Neapoli ante discessum cupiuerat; sed re cognitâ Bernardinus, nihilo secius vt scriberet, suasit, interceptum enim ad dies aliquot inopinatis moris, illius discessum, venturasque ad eum tempori literas: venere autem & Rector prosperè, antequam proficisceretur Neapoli, quod iis ferebatur, negotium absoluit.

Laudarat Prorex Catholico Regi Iacobum de Parescia Hispanum, in Regni Consiliarium; Iacobi vxor Lupiensis Bernardini orationibus eius rei finem ardenter crediderat; orauit ille, tum huius materteræ non dubitauit indicare Priuilegij Diploma

ploma ad eam Consiliarij dignitatem in Hispania iam datum, de quo tamen illa respondit matertera, nihil dum penitus audiri, verum trimestri elabente appulsus ex Hispania nuntius tantò ante Patri notum fuisse palam fecit, quod in Hispania gerebatur.

Brisaciensi Duci Victoriæ Capuanæ ad instantem partum eius vota poscenti gratulatus est masculam prolẽ per literas editam, foréque illam eorum ex numero quorum nomina sunt in libro vitæ; certè puerulus, secreti, precationisque amans, fabricandorum domi sacellorum, quotidiani Deiparæ cultus, grauitatisque ab omni ludo alienæ, duodenni haud maior, perceptis piè sacramentis ad Deum euolauit.

Franciscum Antonium Calum sacro iam inunctum oleo moxque animam efflaturum cum resciisset frater, pro mortuo habuit, sed Matri solùm de febri aperuit qua vehementi æstuaret ne illa præcipiti mortis eius nuncio moreretur, deinc Matris iussu Bernardinum alloquens, palam de fratris obitu narrauit, precesque pro eius animâ, & Matris dolore implorauit. Silebat ad ista Sanctus senex, donec iussâ sibi legi epistolâ quæ Neapoli venerat; Abito, inquit, filí, Matrique dicito, ęgrotum melius habere, integréque restitutum iri; sed cum infestum experiatur illud cœlum, esse illi quamprimum Lupios redeundum; adfuit proxima hebdomadâ Tabellarius, qui hæc eadem vt ante proculque dicta erant, allatis literis firmauit.

Messanæ Flaminius Magnatius è Societate Primario Nobili vitæ totius anteactæ confessionem talem

talem ægrè persuadebat, nectenti videlicet, captantíque moras, tristis, vt rebatur, ac fastidiosi negotij. Interim Bernardinus diuino, vt creditur impulsu (nulla enim scribendi se ansa dederat) ad Flaminium scribens, de sua illa qua olim in sæculo per dies aliquot apud vnum è Societate suam omnem annorum quatuor & triginta retexuerat vitam, confessione disserebat, quantaque animi voluptate illam peregisset, & fuit tam pia, tam prudens, humanaque epistola, vt eam Flaminius Dei instinctu missam putauerit, vt pœnitenti refugo monstraretur; qui, audita eius lectione, imitatus est de confessione quod prius tantopere abhorrebat.

Meditabatur vindictam Ioannes Sommozius eorum qui se apud Comitem Casttium (cuius procurabat Hydrunti ditionem) traduxissent, cúmque fortè Lupios venisset, hoc animi vulnus apud Bernardinum querabatur; At is, nihil esse quod inde metueret, respondit, Comiti enim post sagacem exquisitamque diligentiam constitisse de calumniæ totius falsitate. Miratus est dictum Sommozius, sed multò magis, vbi Neapoli gesta dictis consentanea accepit.

Anna Pignatella Ducis Montis Leonis natu prima, tàm secretò Neapoli nupserat, vt parentem quoque id lateret, non tamen latuit Bernardinum, tam incidente cum vno è nostris de illa sermone, nupsisse affirmauit.

Hilaria Marchionis à Valle cognata Lupiis in Domo Præsidis tum degens, significauit Patri per honorarium Ephebum de sua sollicitudine, ac metu; quòd nihil de fratre dudum acciperet in Lombardia

Lombardia existente, renuntiauit Pater per eumdem de fratre ne esset sollicita, commodè illi esse, binasque ab eo propediem literas habiturum, habuit eâdem hebdomada & quidem læta de fratris valetudine ferentes.

Iacebat Neapoli ægrotans Ioannes Andræas Massa, Societatis Adiutor domesticus, & fratrem in Societate Lupiis habebat, cui pro ægroto opem flagitanti; facto sacro, respondit Bernardinus Andræam fuisse maturum, Deumque apud se illum velle; ad primum deinde Tabellarij aduentum rescitum est, ægrotum Neapoli defunctum cum hæc Pater Lupiis efferret.

Agenti secum familiariter fisci Causidico Emanuelis Acugna Nobilis Lusitani amicissimo aperuit, grandi mox illũ perfunctũ discrimine, ingresso Domum sicario, & in eum securim, nisi auertisset Dominus, vibraturo; cognitum autem est postea eum, milliaribus centum Barij ex tibia decumbentem cum solum famuli reliquissent, fuisse à latrone appetitum eius pecuniis inhiante sed interposito apud Deum nomine, ac meritis Bernardini (quem de solis nouerat literis, homicidam ab se depulisse.

Scripsit ad eumdem Neapoli Hippolyta Citarella pro filio anceps, qui Mediolani in exercitu stipendia merebat, rescripsit Pater, tum quidem perperam valere in Mediolanensi Ditione, sed breui melius habiturum, ac Neapolim vt tandem factum est, vita incolumi rediturum.

Anna Sementia noctu puerum enixa, summo manè preces per nuntium à Patre expetiit, cui Pater statim comparenti, iam scio, inquit, de nato

puero

puero, abi & toti familiæ meo nomine gratulare.

Syluestro Real pari earum tædio regionum, & Neapolis desiderio tabescenti indicauit; illum re ipsâ, tunc Neapolim reuocari, acceptis vero epistolis, quibus de reditu mandabatur animaduersum est tunc illas in itinere fuisse, cùm ea Pater loqueretur.

Lupiis faber Murarius ex editissimo Baronis Cigalæ Palatio lapsus, grandioris saxi ruinam in se traxit, instarque mortui habitus est, verum eius cognatæ nostro tum in Templo oranti, & audito casu eiulanti, caputque laceranti, ac demùm Patrem misello imploranti, respondit Pater, quod res erat, bellè ipsum habere, nihilque ex eo infortunio mali passum.

Cum certis nuntiis Bario audisset de Abbate Fabio Nenno Sancti Nicolai Canonico, pro cuius salute rogabatur, paulò prius obiisse tabellario respondit. Pro ægrotante autem Marchione Capursensi, ab Duce Nucensi interpollatus, se pro eius defuncti animâ facturum. De Patre Ioseph à S. Iuliano è Societate qui scribebatur Neapoli deteriusculè habere rescribens aiebat, in aliã vitam à Deo accitum. De Patre Francisco Noghera è Societate Bouinis, vt nuntiabatur decumbente in cœlum vocatum asseruit, & aberant isti centum, ducentis, ducentis quinquaginta milliaribus, sed Dei seruo præsentes fuisse rerum veritas declarauit.

Ioannes Thomas Santa Maria Hydrunti regius Cognitor tertia noctis hora in Collegium venit vxori à Patre præsidium quærens primo in partu

partu periclitanti; extemplo Pater in preces effusus, paulóque post ad Ioannem conuersus, alacrem dimisit, aiens (quod erat) vxorem puerum enixam, quod Ioannes multis deinceps retulit.

Hydrunto soluerant, Venetias versus, duo ex Patribus Capucinis, mediáque in viâ Turcarum in manus inciderant, quod vt Lupiis percrebruit, legi è vestigio qui eos liberarent, conferri qua publicè, quâ priuatim eleemosynæ, festinari ab liberaturis profectio; sed iis illam Patri curæ esse precantibus exemptus labor, cum moneret operam frustra sumi, quod cum nautis ij patres cymba euasissent, vt paucis diebus vulgatum est.

Erat Neapoli Maria de Medicis in magno vitæ ancipiti eámque coniux Fabius Galeotus per Sacerdotem fratrem quem habebat in Societate Lupiis habitantem Bernardino maximè commendarat; sacrum obtulit Deo in ægrotæ leuamen Bernardinus, Patrique confestim hilaris, cognatam (quod pòst compertum est) à morbo liberam affirmauit. Et hactenus quidem magni senis, admiranda prosecuti sumus; nunc etsi virtutes, quoad deprehendi potuerunt, narrandæ veniunt, haud tamen poterit admirandis ea tractatio carere, adeò tota Viri Dei vita multiplex quoddam fuit perpetuumque miraculum. Sit ergo

***

CAPVT

CAPVT XXIX.

De eximia Perfectione serui Dei.

PRimus eius perfectionis gradus fuit vt næuos omnes quantumcumque leues deuitaret, obliquas omnes animæ inclinationes sagaci emendatione corigeret, suaque omnia subtili diligentique cura perageret: obseruabatur à quibusdam ex proposito, non carpendi vtique voluntate, sed suspiciendi desiderio si inculpatum reperissent, nec in eo quidquam nota vlla dignum deprehendere vnquam valuerunt; Alij Societati nostræ parum æqui, ouáque etiam vt aiunt, tondere soliti, Bernardini tamen nisi perhonorificè nunquam meminerant. De illo verò quid sentiret, interrogatus Minorum Reformatorum quidam Pater, dixit, multis annis ne quidem leuia, seu venialia admisisse. At qui ei per annos quindecim à confessionibus fuerat, non est veritus pro testimonio dicere, nihil se vnquam ex illo audisse, quod voluntariam culpam etiam tenuem contineret. Qui autem aliquamdiu idem illi officium præstiterat Theologiæ Professor, aiebat ab se de quotidianis nunquam absolutum, sed communia quædam ex anteacta vita (quæ confessioni addere consuerat) in materiam absoluendi semper coactum reuocare. Quem eius animi nitorem ipsiusmet ex ore vt exp scaretur bono dolo, concionator quidam è Societate. Quæsiuit aliquando, quod tandem possent pœnitentiæ argumentum Sacerdoti subiicere, qui

qui Sacramentum id crebrò vſurpabant, & vitam ex ſpiritu ducebant; cui ſine cunctatione vlla ſatisfecit, poſſe, verbi causâ confiteri, quod prima poſt ſomnum cogitatio de rebus diuinis non fuiſſet, quodque Deum ardenter non amaſſent, ex quibus putauit ſe probè coniicere hanc eſſe Bernardino confeſſionum materiam. Itaque optimè Pater quidam è Sancti Franciſci familia Iſraëlitam verum appellauit in quo dolus non fuiſſet, & Rector Lupienſis qui non rarò excepit confitentem, chirographo ſuo teſtatus eſt, quam exigebat S. Ignatius ab hominibus de Societate ſanctimoniæ præſtantiam fuiſſe in illius vitâ, velut in pulcherrima tabulâ expreſſam: Alius de Societate Clariſſimus Theologus, recuperaſſe illum à Deo rectam naturæ vim à qua Adamus exciderat, & de qua Magnum Antonium ſic ſuos affantem B. Athanaſius inducit. *Bonam animam creauit bonus Creator, ſed hoc eſt rectam eſſe animam, cum eius principalis integritas nulla vitiorum labe maculatur.* Et aiebat Bernardinum ita omnes ſeorſim virtutes coluiſſe, ac ſi excolendis, comparandiſque ſingulis ſingularem curam tempuſque deuouiſſet. Videbantur ſibi alij Angelum videre, aut è ſuperis vnum, aut in cœlo eſſe cum in eius conſpectu, congreſſuque eſſent, & ſuauiſſimâ non terreni vllius, ſed cœleſtis odoris fragrantiâ perfundi, hoc eſt, vt ego interpretor, ex eius virtutum cumulo profecta. Et poſſunt iſta ex eius literis vtcumque colligi; Nam vt cæteras omittam, ad parentem ſcribens. Iam, inquit, mihi flocci eſt gloria quæ ab hominibus hauritur, Dei gloriam tãtummodo quæro. Ad fundatorem verò Collegij

M Lupienſis

Lupienſis. Non habeo Regem niſi Dominum IESVM, loquor, ait, cum S. Bernardo, haud æquali tamen ſpiritus menſurâ. Ad fratrem denique: Cupio diſſolui, hoc eſt in terra degens, non tamen terræ inhærere. Hunc porro apicem virtutis, otij fugâ infatigabili apprehendit, nunquam non precando, legendo, ſcribendo, & piè cum proximis tractando B. Bernardini præſcripto inſiſtens, dum ait, Dei ſeruum ſine intermiſſione legere, orare, & operari oportere, ne fortè mentem otio deditam vitia ſibi præoccupent: Iuuit & proficiendi ſemper ingens amor, & conſtitutionum, legumque noſtrarum aſſidua lectio ac meditatio, quibus ita omnem includi cenſebat perfectionem ſanctitatis, vt idemtidem reſponderet aliâ non egere, præterquam earum obſeruatione, qui ſancti in Societate eſſe vellent.

CAPVT XXX.

De Amore illius in Deum & ſtudio proficiendi è re quauis.

QVod hic Dei amor in iis efficit quos ſibi pleniùs mancipauit; hoc in Bernardino luculenter eminebat, nam caduca, & quæ ſæculum ſaperent ne ſuſtinebat quidem cogitationem admittere, ſed coniunctiſſimus ſemper Deo, Deique vnius deſiderio poſſeſſus libenter cum eo ſecumque habitabat, fugitans hominum conſuetudinem quoad per ſtudium diuini cultus, ſalutiſque

que alienæ licuisset, sæpè manibus pectori appressis, intentisque in cœlum oculis, Deus bone! aiebat Deus magne! laudetur æternùm Deus, æternùm IESVS; Aliàs verò lætabundus, Paratum cor meum ad æstûs; paratum cor meum ad frigora; ad vitam; ad mortem paratum; ob hoc labeculas, peccatique vmbras incredibiliter oderat, quod illæ Deo displicerent; eiusque vita similior Angeli, quàm mortalis cum esset, attamen eâ inter cæteras de causa etiam mortem in votis habebat, ne posset deinceps Deum offendere; & scribens ad quemdam; senectutem sibi gratulatur, quod hominem morti propiùs applicaret, quæ cum sit, inquit, peccati finis vel ex hoc solo, est inuidenda, & amore digna.

Iam si quid vspiam locorum & gentium gloriosum Deo patraretur, hinc verò mirè gestiebat; miscendis autem sermonibus nihil præter Deum, & diuina ex eo audisses, vnde animi opes iis referti thesauris facilè disceres.

Hoc eodem actus amoris stimulo mortem sibi pro Dei causa rebusque ad eam spectantibus, vt eius in terris Vicario, Ecclesia & similibus optabat, agebatque summas numini gratias cum audiret Patres Hungaria, Transyluania, Bohemiâ, locis-ve aliis Christi causâ pulsos, & religionis Christianæ, ac Pontificiæ maiestatis. Quod sensu quàm forti ac tenero præstaret, prodit illa eius ad fratrem responsio quærentem cur nostri exularent. *Exularunt quidem*, inquit, *Patres nostri relinquentes omnia, & secuti IESVM quocunque vocat Sanctissimi sui Vicarij ore, pro cuius tuendâ fide & authoritate, parati certè sumus Domini*

IESV beneficio in mortem ire. O si mihi seni liceret, & è Societate minimo ! ô mi IESV, ô Beatissima Mater Virgo Maria! ô B.P.Ignati mi Domine supportato senem. Ex abundantia cordis os loquitur, & calamus scribit. Aliis verò literis. *Quid,* inquit, *à te volui super terram.* Et erat eiusmodi, adeoque incensus hic in Deum amor, vt in vultu quoque illius flamma efflorescceret, corpus autem sæpe fauillis scintillaret.

Quo ex amore diuinæ charitatis efficiebatur nihil vt otiosum abire pateretur, aiens qualibet ex re cœlestis pabuli buccellam nobis decerpendam; coco ministrans lancibus abluendis, adiuuanti se fratri, decet, inquit, ardenti lacrymarum aquæ, & peniculo seueri examinis animæ labes eluere: Cuidam mala aurea in Collegium mittenti remisit qui gratias ageret, adderetque auri eius splendore hilarè doceri nos perfectam charitatem; & frondium linguis fructui substratis, esse linguam nostram perpetuò Dei laudibus occupandam.

Conscensurus scalas aliquando ægrotum vt viseret, arundinem socio tradebat, suggerentique necessariam præcipuè tunc esse ad ascensionem fulciendam, minimè verò ait, sic enim recogito quàm sit ardua in cœlum via. Decumbenti è nostris cuidam salutationis officium ferens, cum per gradus item sed arrectos, multosque anhelaret, ab vno è Patribus laboris miserto, ne porrò pergeret rogabatur, nimioque plus eatenus factum; se residuum, cum ægroto eius nomine peracturum, & salutem ab ipso illi portaturum; At ille pergens, quanto altius imus, tanto

patriæ,

patriæ, inquit, propiores euadimus. Suadenti fratri ex Adiutoribus, illa eius ætate decrepitâ omnino expedire, pista carne deinceps vesceretur; Imò ait, omnino expedire, pinsi tundique gnauiter Bernardinum, qui aduersi nihil in Societate expertus vnquam esset.

Cubiculum eius præteriens is qui lucernas communes aptabat, petensque ecquid lumen vellet; boni sibi exempli ab Nostris omnibus, adeoque tunc ab ipso subministrari lumen dixit; Volenti autem puluillum ipsi emi; det tibi Dominus, respondit, sui præsidij puluinar, in eo enim quies placidissima capitur: eo percommodè stomachus fouetur. Et loquenti de equo Hispanico, faxit Deus hunc nostrum oris indomiti effrenem equum, hoc est appetendi, volendique insitam libidinem sic coërceamus, sic regamus, flectamusque ad honesti nutum vt diuina duce misericordia, cœlum denique attingamus. Reddendis cuidam litteris, tuas, inquit, heri litteras habui; priores nequaquam; est enim hæc longinquis epistolis sors familiaris. At cum Sancto Paulo, scio abundare, scio & penuriam pati, nempe vndecunque laudandi IESV occasionem mihi nasci puto, qui facit prouentum cum tentatione, sempiterna laude IESVS celebretur. Alteri verò de tremuli corporis contracto ante aliquot annos vitio nuntianti; sunt ista, refert, senectuti cognata, hebet calor, augetur frigus, debilitantur nerui. Quid mirum? Sed his ad animum reflexis fruamur. Qui tremit quiete indiget; in omnibus requiem quæsiui; hæc requies mea, In Saluatore quiescere: Qui tremit, ni fulcrum adhibeat, oppidò la-

bitur; fulcrum optimum Crux Christi, huic innitamur; mihi adhærere Deo bonum est, IESV scilicet Crucifixo; eam ob rem parum illi fuit in crucem attolli, voluit & clauis in eam suffigi, vt nossent electi, dum malis arctantur, crucem ducere pretiosam, séque IESVM in Cruce semper inuenturos, vbi verò IESVS, quis non gestiat vnà esse; ad repentinum de morte infantis, fatris filiolæ nuntium hic tremor te perculit, quid credis futurum clangente Angelo: Surgite mortui, venite ad iudicium? Epistola quadam disciplinam ducens ab æstu magnopere tunc vigente; Per hos, inquit, ardores debetur corpori nonnulla refrigeratio; Quidni & animo recreatio aliqua pietatis, iaculatoriæ precatiunculæ, promptæ de vita Christi, & Sanctorum salubris moniti, vel exempli, sublatæ ad Virginem Matrem nostram, sanctumque Tutelarem cogitationis? Et ad eum qui Collegium Lupiis fundarat, sic inde datas adnotauit, Lupiis Kal. Septembris quibus tempestiuis ac fœcundissimis, optatissimisque de cœlo pluuiis Dominus dedit benignitatem. O, si terra nostra det fructum suum! Festis per annum maioribus apta componens documenta; ita quemdam in Pascha affabatur, Ad confessionum sedem me confero, vt mortui cum resurgente Domino, resurgant. Et rursum IESV rediuiui Anastasim nunc festo colimus, colamus & factis, ac imitatione; viuamus nos quoque restitutam menti nostræ vitam, in eo sitam potissimum vt quæramus, sapiamusque cælestia, & quamuis corpus humi positum sit, versetur in cœlo animus, vtpote cœlo natus, emptúsque ad vitam sic instituendam,

ſtituendã, vt Dei fauente gratia, beatam illic promereatur immortalitatem. In Aſcenſione Chriſti. *Omnes autem vos precor* ait, *vt me apud dulciſſimum IESVM adiuuetis, vt eundem ſequar aſcendentem*; Triumphali verò Septembri menſe, Crucis ſanctæ die. Audiamus Saluatorem dicentem: Tollat quiſque crucem ſuam & ſequatur me; crucem enim non ſentit qui hoc agit. Quaſdam Lupiis ad feſtum Beati Laurentij ſubſcribens, addit, *cuius igne accendamur omnes, vt verum illud Euangelium in praxim deducamus omnes perſeuerantes: In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* Nec id ſolum præſtabat, vt rerum occurſu quarumlibet, ad diuina mentem erudiret, ſed alios etiam, vt id agerent docebat. Fragagnanenſẽ Baronem, quam annos quadraginta audiuit confitentem, cum familia ituram iuſſit de Deo ſemper cogitare ab orandi, meditandíque recordatione nunquam ſi poſſet, abſiſtere. Adoratores Chriſti Magos, dum iter faceret comitari. Dumque in villa inarantes, ſarrientes, fodientes ſpectaret, meminiſſe, vitæ noſtræ ſolum culturâ egere multiplici, ad reuellendas ex eo ſpinas, virulentáſque herbas vitiorum, & defectuum educendoſque fructus Domino Deo gratos.

CAPVT XXXI.

Quantâ Dei fiduciâ, & quàm mirabili niteretur.

CHaritatis in Deum quam deſcripſimus rudi manu, partus extitit longè dulciſſimus, Dei eiuſdem fiducia, nec enim poterat in eum, non totum penitus proiicere ſeſe, atque immergere, de cuius tantopere amati nequibat amore dubitare. Fuit verò tam certa & potens hæc eius fiducia, vt eam Deus euidentiſſimo non ſemel prodigio penſarit. Deerat quandoque in Collegio panis, nec volebat promus ſignum dare ad conſcientiæ examen, quod per horæ quadrantem prandium antecedit, dedit nihilominus Patris iuſſu, verùm mox reuerſus, ad menſam vt pulſaret adduci non poterat, iuſsúſque iterùm de prouidi Patris familias bonitate ſperare melius. Quî iubes Pater, inquit me noſtros ad menſam, cùm deſit panis, conuocare? Iube panes emi vt vocentur: Stetit in ſententia Dei ſeruus, repetiitque pulſaret, atque confideret, reſtitantique edixit vt obtemperaret; Dato igitur ad menſam ſigno, euntibus in triclinium vacuum Patribus, en ad fores mulier non antea viſa panes viginti quatuor ingentes, optimos, recentes, inſuetæque eo loco formæ in caniſtro ferens, tortaſque totidem placentas magnâ cum omnium admiratione, ac diffidentis præſertim adiutoris; Sed non vnum hoc fuit prouidentiæ

uidentiæ huius monumentum, ſimilia quædam vrgente inopia extiterunt.

Præter dolium plus fortè iam ſemiuacuum(quòd diù domeſticis & opificibus vſui fuerat,) nihil vini Collegium habebat; voluit Pater nihilo parcius inde promi, & obiicienti, breui defecturum, ægréque poſtea nacturos aliquid ſynceri, cum illic æſtate vina omnia vitientur, non tamen abſtitit, ſed dari largiter pauperibus mandauit, nam eleemoſynis egentiorem fieri neminem; Factum diù quod imperauerat, tandem verò in cellam cum miniſtro Collegij, & promo deſcendens, videre voluit quantum inde reſtaret; mirum dictu, viſuque! admoto promus ſuperiore operculo tàm plenum vini dolium reperit, ac ſi nihil foret ex eo hauſtum, tunc autem monuit niti Dei prouidentiâ nos debere, eſſeque pauperibus liberales.

Cum interdum febrim acceſſuram multò antè ab ægrotantibus occupari refectione corporis oporteret, excuſaretque apud Medicos, ægrotorum curator, omnia imparata; monebatur à Patre, tantùm confideret, proceſſuraque omnia vt maximè optabat, ac neſcio quo pacto, vel quâ manu breuiſſimo tempore neceſſaria omnia, cocta, condita, parataque in præſcriptam horam cernebantur.

Bis ſaltem pœnâ ædituum affecit, quod æs Templi maius diù ex more pulſaturus, quàm citiſſimè ſe expediuiſſet; cauſanti æris molem, quæ ab vno haud poſſet agitari, ſubiecit vir Dei, Beatos Angelos, ſi fidenter oraſſet fuiſſe adfuturos, cuius memor poſteà ædituus, tanta facilitate tan-

tum pondus vtrimque agitabat, vt non obſcurè aduerteret, manum ſibi Angelos præbere. Fratri cuidam noſtro volenti cum tribus aliis in hortum exire ad laxandum parumper animum, & æſtus qui tum magni erant matutino frigore temperandos, annuit quidem Bernardinus, verum ea lege ne quid ad cibum ſecum ferrent, omnino enim iis eſſe ad prandij tempus in Collegium redeundum; vix hortum attigerant, & adeſt à Patre, qui iubet, quando illic eſſent, hærerent ad prandium, quod ne illis deeſſet curabatur; intercurrerant horæ duæ, cum iuuenes quinque penitus ignoti reficiendo corpori opportuna affatim comportant, ciſtiſque traditis recedunt; vergente deinc in veſperum die, comparet alius qui nunciabat adfuturam cœnam, proinde nihil eſſe quod pro reditu feſtinarent, & venit tempeſtiuè cœna, ſed & diſſimilis prandio, & ab diuerſis adoleſcentibus allata, magno vtrobique fruentium ſtupore, ac eius maximè cui facultas eius recreationis à Patre fuerat conceſſa. Hîc ſtatim vt in Collegium aduenit enixiſſimè ex Patre inueſtigat, vnde ſibi tàm largæ, tàm lautæ tàm exquiſitæ ſportulæ affluxiſſent, vt nihil in vita guſtaſſet, vidiſſetque iucundius; tergiuerſari ad hæc Dei ſeruus, & ſermonem alio vertere, ſed inſiſtente vehementer fratre ſupplicanteque de genibus per Virginem Matrem, ne hoc ſibi negaret conſolationis, quod eſſet, ſi ſic imperaret, religioſo ſilentio preſſurus; tandem promittis, ait, te, quoad vixero, ſecretò habiturum? promittentique, Sic habeto, inquit, Beatiſſimam Virginem prandium vobis cœnamque miſiſſe, nec præter hæc aliud ab eo valuit extorqueri.

CAP.

CAPVT XXXII.

De charitate in proximos.

FVit hæc Bernardini virtus cunctis semper admirationi ob ardorem quemdam assiduitatis in exercenda illa valde insolitum, sic vt quicquid ageret, diceretque in aliorum auxilium salutemque spectaret; nunquam illum occasio præterlabebatur benè merendi de proximo quantóque is vilior, magisque omnibus defectus, tantò erat in in illum propensior: curabat sedulò gaudebatque nostrorũ operâ rudimentis fidei mendicos imbui; miseratione in flagitiosos intima pũgebatur, dicere solitus qui eorum confessionibus præessent debere medicum imitari ægrotos non vituperantem, non conuitio petentem, multo verò minus deserentem; sed miserendo, solandoque apposita illis meditantem, molientemque remedia. Quam in sententiam ad quemdam scribebat, se quidem noxas abhorrere at noxarum reos haudquaquam penitus; sic enim ait, meipse odissem, & me erga illos commiseratione hac dignatur Deus, vt quantò sunt grauiorum rei, tantò illos amplectar audiamque libentius, cum ab ipso vocari Deo ab ipso inuitari, pellici ac sollicitari non dubitem; non facit scabies inuisum Matri filiolum, sed curationis assiduitatem, & medicaminum suadet: hic erat magnes qui omnes ad eum veluti Patrem rapiebat, ipseque vicissim imis

visceribus

viſceribus tanquam filios recondebat. Qua ferè mente hoc eſt omnes in Deo amante ad fratrem videtur ſcripſiſſe, amare ſe illum in Domino, hoc eſt, vt ſtatim explicabat, nullâ ſui ductâ, nullâ φιλαυτίας ratione; nulla in terris eius fruendi ſpe, ſed in cœlo duntaxat, vitæ laudabilis exercitatione parto. De mancipiis dictum eſt, quàm patienti eos induſtriâ, tædióque ad ſacrum Baptiſmum erudiret poſt verò ſe illis Patrem exhibebat, adibat ægrotantes, commendabat heris, ſuadebat tractari mitiùs, tempuſque ad Chriſtiana officia iis indulgeri: nec diſſimiliter ſe erga pauperes gerebat: micas panis è triclinio collectas mendico puerulo dabat, quem primum ad fores Collegij vidiſſet; ægrotis, viſendo, recreando, ſuccurrendo, eleemoſynas conquirendo, omni ope, humanitate omni aderat: Egentiſſimum Lupiis hominem, ægrotum quot hebdomadis inuiſebat, ferebátque ſemper aliquid eſculenti; ac ſocio, eamus, aiebat, ad cariſſimum filium & ſanctum illum Dei ſeruum: Coronam Virginis alternis cum ſocio inter eundum recitabat, nec ante ab ægro diſcedebat, quàm ſat diuturno colloquio illum refeciſſet; Æger porrò, vt nuntiabatur venire Dei ſeruus, in magnos erumpebat clamores, ſanctum aduentare, ſanctum vociferans atque ingeminans. Quod ſi quando audiſſet Bernardinus, minimè omnium, minimè, inquam, ſed peccator & eſt, & appellandus eſt Bernardinus, tu verò ſanctus, qui tantâ charitate ac patientiâ calamitatem perfers tuam: At æger ſanctum te ſanctum, me verò peccatorem; ita certamen pœnitentiæ & humilitatis Chriſtianæ inter illos certabatur, &
redux

redux in Collegium Pater ad comitem, animaduertisti, frater, quanta sit æger ille mendicus sanctitatis, alacritate quanta suas perpetiatur miserias. Infœlix Bernardine, commodis & sensui addicte, hic verè sanctus Bernardinum reum in supremo iudicio damnabit.

Inuasit morbus Collegij seruulum, hyems erat dura, tempestas perfrigida, noctes aurâ infestæ, noctu tamē Pater per apertam aream ad ægrotum ibat, consolabatur, iuuabat, nec indignum putabat trullam quoque lecticariam purgare.

Lupiis hospes Bariensis per æstus caniculæ in lectū deciderat; ignotus & ab suis procul in frequēti, occupato, tumultuoso diuersorio, multa necessariò ferebat incommoda sed Patris cuiusdam Bernardini auditâ charitate, egit per nuntium, vt in Collegio curaretur, præerat tum illic Bernardinus, & quamuis domi ægroti non deerant qui negotij abundè facerent; deerant autem opportuna cubicula; respondit tamen nuntio Bernardinus, veniret modò, non arctari locis charitatem, ac si minus aliis vacaret futurum ægroti custodem Bernardinum; sic gestatoria cum sella baiulos mittit duos à quibus in Collegium deportatum dies viginti duos in cubiculo optimo habuit, curauitque sistendo se illi quotidie sæpius, hærendo ministrando, etiam per sese cum distineretur aliis cui hoc incumbebat, assiduè medicos adhibendo, omnéque genus charitatis; donec tandem sanus euaderet.

Ex nostris verò si quem morbus teneret noctu bis, ter-ve ibat inspecturus, num quo indigeret, præsto illi erat ad ministerium quodlibet, ac post

verborum consolationem in cubiculum se recipiebat. Detentis verò carcere quantam, quàm sedulam, quàm humilem, atque assiduam operam insumebat? adhortationum, concionum, confessionum, subsidij etiam ad cibum (quod ex Collegio submittebat) intercessionis apud Magistratus, & cuiuslibet charitatis. Huius nominis sodalitas, hoc est, charitatis bis per hebdomadam vinctis epulum cum daret, coquerenturque vicinâ carceri in domo, necessaria, ministrabat cóquo Bernardinus aquam brachiis haustam suis, comportata ligna, versam scopis culinam, elutas; mundasque patinas, & istiusmodi ministeria oculis sordida, virtuti pretiosa, vincendi sui, diligendique proximi argumenta, exemplaria sanctitatis.

Franciscus Iustus Ruffinensis (est hic Hydruntino in Tractu Pagus) ad quæstionem dandus à Iudice, Bernardini rogatu liber emissus est. Franciscum Antonium Rosatum ex suspicione patratæ cædis grauissimè tortum peiora terrebant supplicia, Bernardinus à misera matre deprecator apud Cognitorem adhibitus, tam multa in defensionem iuuenis, tam validè protulit, vt omissa cognitione ampliori fuerit vinculis ac metu solutus.

Donatum Cappetam, Ferrarium fabrum Iurisperitus cogebat in carcerem operæ pretium reposcens, quam in falsa accusatione ab eo depellenda posuerat; nec vllo nobilium, aut Religiosorum patrocinio ad id condonandum flectebatur; faber qui soluendo non erat, & familiæ interitum præuidebat, si sustentare illam suo labore desisset

desiisset expostulauit apud Bernardinum infelicitatem illam suam, cui Pater, Domum redi securus, fiet tibi certè de hoc nomine gratia; Doctorémque subinde allocutus, petiit hoc pecuniolæ in eleemosynam Christi amore condonari. Facio verò, inquit, tibique illam Pater pro munere permitto, dum ne illam fabro ferrario remittas: fabro? subinfert Bernardinus, minimè id quidem, sed egentissimis ipsius filiis, tuo nomine tradetur. Ita res tota conquieuit.

Exstimulabat hæc charitas ingenium Patris ad excogitanda proximis varia salutis præsidia, ex quo illa fluxit ab eo condita Clericorum Sodalitas, Assumptæ Virginis titulo, ac tutela, multóque insignior culturâ pietatis, vt Cœtus magis cælestium hominum, quàm mortalium videretur, ita sui exempli luce vrbem inflammabat. Alteri etiam quam Primariorum nuncupabant sodalitati diu præfuit, & summo studio, fructuque illam rexit; Quem enim sodaliũ non mouisset horas cum iis solidas precando ponens, euerrens sacellum, sacris ministrans quæ illic fiebant, ad pœnitentias publicas cæteris prælucens, ducensque in Nosocomium, & solatium ægrorum. Plus habet quod sequitur admirationis, ex fratris cuiusdam simpliciore imprudentiâ. Interpellauit is Patris charitatem, vt quædam ascetica exscriberet, quod hæc sibi, vt ipse aiebat, satisfacerent plurimum, & erat Volumen Virgilianâ Æneide haud minus, ô vim infractam tenerrimæ charitatis; suscepit officium senex, agendo, respondendo, consulentibus, scribentibúsque domi, foris occupatissimus, præter ægrorum mancipiorum, confitentium do-

mestici ordinis, valetudinis assertæ rationes & curas, suscepit, inquam, & audito statim ex ore simplicissimi hominis charitatis vocabulo emollitus facturum promisit cœpitque quotidie ex iis aliquid scribere. Id animaduertens alius qui Rhetoricis studebat, quærere voluit quid pulchri tam laboriosè lucubraret. Ille se nihil verò, sed lineas aliquot diebus singulis ex ascetico libro exscribere, quod is adiutor ex ipso id optasset; non se hic tenuit adolescens quin indignaretur palam, fuisse quemquam adeò imprudentem, vt à tali viro tale quidpiam auderet, & esse ineptum non leui castigatione in viam reducendum. At cedo hæc mihi Pater iuueni & vacuo scribenda; imò, inquit, senex, Meum istud est, ex quo animi consolationem ex me is Frater expetiit. Paulò minoris imprudentiæ alter fuit, qui eiusdem argumenti libellum, Virginis officio æqualem ei dedit, vt inde apographum eius manu haberet; cœpit tamen huic item obsequi, etsi postea manu alterius est adiutus, & hîc Neapoli hodie in Societatis sacrario asseruatur.

Iacobo Camassæ Clerico Lupiensi tam scrupulosè in horarum penso æstuanti, vt periclitaretur de cerebro, vltrò se socium obtulit, vt vsu ipso, & exemplo, recitandi modum addisceret; expectabat itaque morantem, iuuabat, instituebátque eâ tranquillitate, ac beneuolentia, vt si quid ageret nihil præterea habuisset, fructū tulit charitas quem sperabat, emendata est Clerici conscientia; is Societatem postmodū amplexus, profectúsque in Indiā sanctè illic vitæ cursum absoluit.

Nostris autem qui Lupios aduenissent, quæ-

cunque

cunque animo fingi poteſt humanitatis ſignificatio eam ex animo in eos exerebat, mox enim viatoriam lacernam, calcaria, ocreas detrahere, cubiculum chartâ, calamis, ſede ac talibus recu-lis inſtruere; pedes ſub noctem abluere, aliò abeuntes ad Collegij ianuam comitari, preces in ſubſidium itineris deferre, etiam nonnunquam beneuolentiæ lacrymas non tenere, ac ſi quis inter hæc intuliſſet, ne tantum moleſtiæ ſumeret eſſe moleſtiam negabat, ſi charitas eſſet.

Perlatum eſt ad eum aliquando concionatorem Capucinum (quem ille Ordinem ſemper mirificè coluit) conqueſtum quod contra rem ipſius, in diſſidio ſat noto cum quibuſdam aliis Cœnobitis sẽſiſſet. Quare Bernardinus ad eum aduolat, eum alloquitur, cum eo menſæ communi accumbit (nam ab iis Patribus viciſſim obſeruabatur magnopere) tot ſynceri amoris illum expugnat indiciis, vt ſuſpicionem ab eo omnem abſtergeret.

Collegerat ſeſe in Collegium Cæſar Saracenius ad exercendum meditationibus animum: has illi Bernardinus, confitenti aures præbere ſolitus tradere voluit, huic miniſtrare, cœnam & prandium deferre, quamuis in edito, & remoto cubiculo habitantem, ſufficiente vires, & animos charitate, vt ſuſdeque per ſcalas, & porticus curſaret, cum alioqui fractus & debilis abſque labendi periculo ſe difficilè moueret, nec ſatis noſtri capere poterant, quo pacto nihilominus clauibus ianuæ interdum ſuſceptis ſurſum, verſum alios atque alios inclamans prout accerſebantur ab externis, Collegium peruaderet; puerulis aquam ad vſus fa-

miliæ ex Collegij puteo quærentibus hauriret ipſe, impletaſque ad illos referret hydrias; cæterà morbis ac ſenio imbecillus, ſed ex vna illa vigorem ac motum incitans quâ vrebatur charitate: Ad hoc ſedes, & ſcãna in publicas diſputationes, & templi conciones, ac ſimilia comportare, & digerere, vt quorum id erat, eâ ſaltem parte oneris leuaret, aptatas ſportulas mẽdicis ad fores reddere, illorũ ſcutellas præcinctus coquinari linteo octoginta vir annorum, iure ac pulte implere, pecuniæ ſummam ex eleemoſynis conficere, vnde illis opitularetur, quos malus paupertatis comes à mendicando arceret pudor, familiarum denique integrarum honeſtatem vitamque conſeruare.

Eratque tàm inflãmata charitas viri Dei vt apud Ciues locum prouerbio fecerit, opúſque palmare illius virtutis ab aliquo editum, charitatem vocarent Bernardini, & Pater Hieronymus Barizonius diceret, ſe media æſtate, peditem libentiſſimè Neapoli hac ſolùm de cauſa iturum Lupios, vt charitatem corporatam videret illic inter homines verſantem. Ex eadem verò mancipia quædam Palmiregienſis Comitis ſecuram ſumerent religionis veræ notam, vt quæ ficta & falſa non poſſet tàm perfectæ ſubeſſe charitati, huius amplo ſinu comprehendebat omnes; Deo pro omnibus ſupplicabat; quotquot preces ipſius popoſciſſent; ac vt ſe illi quiſque commendabat, orationem pró illo Dominicam, aut aliam è veſtigio recitabat; Amore præcipuo, & obſeruantia in Religioſos ordines ferebatur, nec de iis ſermonem miſcebat niſi perhonorificum, habebatque felicitatis

licitatis magnæ loco, vbi Lupiis noua posituri Cœnobia venirent. Scribens itaque ad Fratrem Patri Camillo Lupiensi peramicum, Scio, inquit P. Camillum imputaturum diuinæ in patriam bonitati, quod decimo quinto ab hinc anno religiosis aliquot familiis aucta sit Societate IESV; Theatinorum Patrum venerabili ordine, ac Ioannis Dei, ægrorum deuoto procurationi præter antiquos illos multæ omnes approbationis, vt dici verè possit: Benedixisti Domine Terram tuam. Porrò illos suis epistolis nominabat nunquam sine Illustri encomio, ac de PP. Capucinis sibi vnicè caris sic fratrem alloquitur. Digni sunt quos ames plurimum R. Patres Capucini, quorum me toties virtute scribendo recreasti; digna illorum asperitas quam pro indicio habeas perfectionis in ea vita magnæ, adeóque pro miraculo; Quare sis illorum semper inopiæ liberalis; & alibi. Gaudeo patriam, præter tot alia religiosorum Cœtuum instituta, nobilitatam recens Venerandis PP. Capucinis, ex quorum profecto genere viuendi existit vulgò disciplina hominibus pascendo sensui tantopere affixis quem vident ab iis calcari, & proteri, etsi debet quisque sorte sua contentus viuere, partemque illius optimam consectari, nec enim tantùm vna est benedictio Dei Patris, sed diuersis in cœlum gradibus scanditur.

Iam vt Dei seruus semper de quolibet in laudem & commodè loquebatur; sic nunquam auditum est de vllo quantumuis grandium, notorumque scelerum reo, verbulum ei sinistrum excidere; verùm de iis sermo si fortè incideret tueba-

tur factum si poterat; sin minus agentis consilium mentemque excusabat, vel occasionis tyrannidem, violentosque impulsus, quibus si foret appetitus, esset multò peiora ipsemet patraturus. Itaque inter fabulandum cum occurrisset de cacodæmone, ac turpius animal & maleficentius nullum esse, fortè tamen à Patre Bernardino defensionemre perturum; Ego, inquit, Dæmonem non defendo, sed aio, si posset de peccatis dolere fore illum pulcherrimum Dei opus; facinorosos item immania crimina fatentes vel hoc ipso non parui faciebat, quod ea detestari & manifestare valuissent; Ita verò infixum illi erat bene de omnibus sentire, ac loqui vt de Latina epistola erratis contra Grammaticam scatente, quid visum esset pertentatus, dixerit multa inesse illi bona; præcipiebat autem, laudandi alterius quoties opportunitas adesset, laudandum alacriter, & liberaliter; cum vituperandi, vel tacendum, vel excusandam animi voluntatem.

Sed in conferendo pœnitentiæ Sacramento fulsit illustrius hic eius in proximos amor, qua in re planè singularem Societatis operarium expressit. Horas in templo solidas insumo (scribit ad fratris filium) excipiendis pœnitentibus, iuuandisque & ab seruitute criminum vindicandis, quod est cœlestium munus spirituum: In aliis verò eiusdem literis sic lego. Destinat has ad me animas egentes Deus, vt de bonis ipsius eorum inopia succurram, de absoluendi scilicet potestate industriaque ad perfectiora promouendi; Quare in illorum penuriam largâ manu decet rem illius Domini partiri, qui venientem ad se non eiicit

foras,

foras,ſed inuitat, Venite ad me omnes qui laboratis; & hoc tam ſanctum, fructuſque tam vberis erga peccatores officium, quantum illi Deus cordi eſſe vellet non obſcuris monſtrauit miraculis.

Prandentem cum cæteris aliquando exciuit illa vox: Surge Bernardine; in Templum abi confitentes excepturus; excipienti verò, ſæpè noxas illas ſuggerebat, quæ illis memoria excidiſſent, quas deinde iiſdem ſubiiceret, vt ante diſceſſum eas pariter expiarent. Narrauit Colellaus Perronius Lupienſis Clericus, cum apud illum ſub ſerum crepuſculum peccata ex ſcripto poneret, abrumpereque defectu luminis cogeretur, rogatum ab eo ecquid lumine egeret egentique accenſum funale à tergo mox comparuiſſe, nullo qui ſuſtineret comparente, peractáque exhomologeſi repentè vanuiſſe.

Quouis loco ipſum, hora, tempeſtate cum pœnitentibus vidiſſes: feſtis ædituus ſummo mane reſeraturus Templi fores, in ſede vt plurimum iam illum cernebat opperientem de genibus adituros; Eòdem ſe portandum curabat, cum ire pedibus non poſſet; eòdem ſe ſiſtere non refugiebat, quamuis vnguento maculoſus, & emplaſtris, poſt læſam interdum ex lapſu faciem à chirurgo inductis; poſtremus Templo abſcedere, nec prius quàm adeſſet nemo qui eius operam optaret; hærere in ſede horas octo & plures, àc licet nonnunquam tribunali vix aſſurrexiſſet, ſedendo, audiendoque fractus, à prandio ſtatim illûc recurrere, atque in ſeram noctem ibidem durare.

Paſchæ verò, Natalis, Iubilæi diebus, aliiſque

celebrioribus per annum, decem ipſas, ac duodecim horas continenter illic ieiunus permanebat, dempto ſolùm, quod rei diuinæ faciendæ tribuendum neceſſariò erat, aliquando tamen in cubiculum excurrens ſumptâ panis bucceâ, & paucis acinis vuæ paſſæ in Templum ſtatim recurrebat, eademque ſero contentus cœnâ, in triclinium non conueniebat, imò ſubinde abſque vllo cibo decumbebat: Profeſtis quidem non ibat in templum inuocatus, at ſi ab æditus vocaretur, præſto erat, nihil inueſtigans tenues eſſent, an diuites, viles, an nobiles, qui ſe conuento eguiſſent, vt cuius in pectore regnabat vnus, imperabatque ſcopus omnium ad Chriſtum conuerſio, vix autem elabebatur dies, quo in Eccleſia dum valeret, vel in cubiculo ægrotus, aures confitentibus non præberet, qui ſi magno, vt interdum contingit numero affluxiſſent, omnibus tamen faciebat ſatis, quanquam autor iis erat, ne confeſſarios quibus vti ſolebant desererét. Quis verò erga pœnitentes paternum animum, mitiſſimum pectus quis referat? Eius miſericordiam in relapſos, lenitatis blanditias quibus innumeros ad confeſſionem prolectabat? Docebat igitur Sacerdotibus cogitandum à præſidibus Angelis ad ſe ductos quotquot accederent confeſſionis Sacramentum obituri; proin beneuolè humaniterque colligendos; deinde nunquam in tempus aliud differendos, ne diuinæ interim gratiæ iacturam facerent qua per Tutelarem Angelum adacti ſe ſiſtebant, & quod ſuſceperant ægrius, propensè omitterent. Si quos aduertiſſet nodis illigatos qui manum Præſulis aut Summi Pontificis exigerent, charitate ſecre-
ta

ta, & celeri, neceſſaria curabat, multoſque hac methodo perplexiſſimis laqueis euoluebat; aiebat denique miniſtrandis confeſſionibus nullum illuſtrius, nullũ que dignius ad proximorum ſalutem, & Dei gloriam miniſterium Societati eſſe. Tacebo lubens, quàm multis eorum quibus id præſtabat, religioſas ornarit familias, quàm multis abſtulerit pellices, vel in vxores mutauerit; quàm multis alienum, inimicitias, ſcrupulos exemerit: erat enim ſcrupulis profligandis, componendaque conſcientia mirabilis: Demum vt quiſque illum incœpiſſet confeſſarium adhibere, vnà quoque nouam inibat vitæ rationem. Pauca ſubiungo lectiora. Accedentium mentem & cæcos animi receſſus nonnunquam introſpiciebat, & fuit cum quidam onuſtus criminibus moræ longioris aut impatiens, aut impos meditaretur abſcedere, quod præ turba nequiret ſeſe ad Patrem penetrare; huius verò Pater inſpectâ cogitatione, extra ordinem ac morem confertâ illum ex turba exciuit, audiuit, leuatum pondere, abſoluit.

Audienti quandoque mendicabulum pannoſum & lacerum ſtitit ſe Marchio, qui ad hoc Lupios venerat, vt negotium quoddam ſuum cum eo conferret, verùm haud ante Marchioni operam dedit, quàm mendico illi otiosè ac placidè illam commodaſſet: peculiari enim voluptate pauperibus, mendicis & abiectæ plebi ſui copiam faciebat, iiſque ſe tradebat quàm primariis illis lubentiùs. Coram illo ad confeſſionem genua flexurum fiſci cauſidicum præuertit mancipium vile, ſeque prius in ſedem intruſit; animaduertit

hoc probè Pater; causidicum tamen nisi expedidito mancipio non audiuit: frequenti concursu diuitum iuxta & pauperum cinctus, his vt accederent innuebat, si videret metu aut verecundiâ retardari. Mendicos præ templi foribus corroganda stipe occupatos expectabat vt post concionem eos expiaret, & modicis quandoque eleemosynis inuitabat.

Iste quin etiam Bernardini amor erga animas immortales emptas infiniti pretij sanguine, animantibus quoque se benignum & misericordem exhibuit (quod de Sancto Francisco & aliis legimus) apponens auiculis per hyemem pabulum ad fenestram, agensque vt liberæ sinerentur, si quandò illic captæ forent. Subibant quoque intra cubiculum, pedibus, cruribus, humeris insidebant, nullo interuentorum metu, edebant eâdem cum illo in patina studentis, scribentisque in charta subsiliebant, atque oberrabant, & ambigentibus an interturbarent, imo verò sibi admirationi & consolationi esse dixit. Hæc autem omnia quæ per se quemlibet minus solidum, & Deo affixum efferre potuissent videamus, quàm de se nihilominus abiectè sentientem habuerint Bernardinum.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De abiecta sui æstimatione, seu humilitate.

VNo verbo de se tàm demissè, contemptímque putabat Bernardinus, vt se pro nihilo, & deteriorem nihilo duceret, nam in quadam eius meditatione hæc leguntur Martij 28. cognoui cœlitus me nihilum esse, & quod hinc sequitur quantus quantus essem totum peccatum esse quod nihil est: Ergo si nihil sum, mihi non doleat cum nihili fio, cum mihi res pro voto non acciderit, &c. Ergo ad Deum confugiendum est, vt sua in me conseruet dona, quandoquidē eius sū, ac seruet in eum in quem dedit scopum, suam nempe laudem & gloriam; peior nihilo sum, nec enim id cum Deo pugnat, cum ex nihilo cuncta condiderit; ego verò toties pugnaui, sic sum vilior terra, luto, &c. In alia verò contemplatione. Si nihil, inquit, sum, quid mihi curæ aliena? Quid diuina scrutari iudicia? desine itaque res diuinas iudicare. Primum Deus ex nihilo eduxit lucem, si me pro nihilo gessero, creabit in me cognitionis sui & amoris lucem ac notitiam eorum quæ scire opus est; si quidem nihil sum; nihil à me præstare valeo, sed hoc agit in me ipse Deus, si quid præsto. Igitur Deo laus. Et paulò inferius: Vidi me, quod ad me attinet, nihil esse penitus, qui verò bonum donat, & peragit, Deum esse; Video

me ſine ipſo nihil eſſe. Si ergo nihil ſum inaniter litigo,&c.ac ne præclariùs hæc ab eo ſcripta, meditatave dubitentur quàm in opus collata facient quæ ſequuntur.

Fundatorem Noſtri Collegij quidam Tabellio cum totis Lupiis diu quæſiſſet offendit cum Patre Bernardino,compellanſque,Hoc ſaltem lætor quod cum Viro ſancto te tandem reperi. Ad quæ Bernardino in ore ſanguis emicuit, cœpitque inambulans canna ſolum ferire,ac repetere: Egregium verò Sanctum! Lepidum verò Sanctum! Itaque Bernardinus reorum maximus, repente in Sanctum euſus eſt; Eccum momento conſecratum! ne quid tamen externi offenſionis paterentur conticuit,& Tabellionem ſubridendo amplexus, planè opus eſt te eſſe valde probum, qui Bernardinum putaueris ſanctum. Conuenerat demum inter duos,vt de lite quam diu verſauerant, Bernardini arbitrio ſtarent; horum alter adiudicatâ ſibi ab eo cauſa; Vides ergo, inquit aduerſario, quàm iniquè, quanto tempore me vexâris, quando hic vir ſanctus litem mihi addixit: hîc Pater humum arundine verberans, palàm eum acriter obiurgauit, quaſi nefando dicto adſtantes violaſſet.

Sacerdos Lupienſis è gente Piſacaniorum illum aduocarat, vt ſibi adeſſet morienti, ex multis euntem venerationis gratia proſecutis, alij vnà ad ægrotum intrant, ad fores alij expectant comitaturi redeuntem; In ægroti aſpectum cum veniſſet; contenta voce,O, inquit, Pater ſancte optatus veniſti, quâ perculſus Pater flens coram omnibus in terram ſe abiicit, illámque iterans,

Sanctus ſcilicet Bernardinus? oppidò Bernardinus Sanctus? omnium quotquot ſunt criminoſorum deterrimus, quem vna Dei miſericordia tolerat, in Sanctum ſubitò erupit? ſic humi diù hærens perſtitit, eadem querens, pèrgénſque explodere.

Fabulantibus de illo inter ſe adiutoribus Fratribus, vnus ſimplicior cæteris exclamauit; felicem illum & inſignem Sanctum! quod ipſe quàm moleſtè ferret eius oſtendit reprehenſione, ſceleratum ſe appellans, noxiſque inquinatiſſimum ad quæ cum idem retuliſſet, illa demittendi ſui ſtudio, rectè dici; Pater ſe illinc perinde proripuit, ac ſi auram vitaret peſtilentem.

In Collegij aream, tum ſæpè alias, tum die quadam cum prodiret, mirabatur ſtatim diſcipulorum ſe coronâ cingi, cui coram vnus Adiutorum fratrum: Iſtud, inquit, agunt, quia te ſingulariter sanctum ſuſpiciunt, cui Pater tum Collegij Rector, certò ait, hæc culpa haudquaquam tibi eſt impunè abitura, eamque pœnâ poſt modum multauit.

Ipſius apud Deum preces multis per literas enixè petentibus & afferentibus petendi cauſam, quòd multa per eum à Deo tribui cognouiſſent, multa patrari miracula, ſupra quàm dici poteſt angebatur lugebatque mœrore non conſolabili quod de ſe talia iactarentur, qui audire & credi profligatiſſimus volebat; incredibili verò dolore afficiebatur, cum ex pietate conſpicaretur aliqua poſtulari, quæ vſu aut manu triuiſſet.

Portia Pepia Dux Nardenſis ipſius coronam dono expetiit ſed quod indicaſſet velle ſe religio-

sè illam asseruare, extorquere ab eo non potuit. Petiit & P. Thomas Mirabellius, coronam eamdem primariæ fœminæ concederet, quæ ad filiæ leuamen eam exposcebat, in partu miserè labotantis. Renuit sæpius obfirmato animo Bernardinus donec P. Thomas quasi repulsâ offensior, hac verò duritie, religionem hominum imminui dixit, auertique illos ab quærendo ex religiosis hominibus sacrisque rebus præsidio, quibus demum permotus suspirans, multúmque inuitus, petenti cessit. Si quam de schedulis ab se scriptis retineri ab aliquo pietatis causa sciret, subducere illam artificiosè conabatur. Ad malè habentes cruce consignandos (nam ad confessiones nunquam restitabat) vel admouendas iis reliquias, aliáve pia medicamina vocatus, substituere sibi alios tentabat, affirmans quemuis è Societate Sacerdotem ad hoc esse abundè idoneum, idque vt conciliandâ iis famâ opinionem sui vulgò extingueret, sanctusque haberi desineret.

Apud ægros verò si quem nactus esset Sacerdotem, huic in omnibus primas tribuebat, huic Litanias, precationes & similia vltrò cedens, ipse ministri vice fungebatur. Cum se à Pictore expressum coloribus didicisset, admodum turbatus factum redarguit, tanquam inanitatis plenum, & exinde pictorem, si quando occurrisset, semper deuitauit.

Ineuntibus Lupiense Collegium nouis Rectoribus apud illos peccata expiabat, & quicquid grauius quondam in sæculo perpetrasset, vt opinionem captaret vulgaris animæ, vitæque olim pessimè traductæ; litteris ad diuersos magno

gno numero datis intimo illos ſtudio rogabat, emendationem ab inueterata ingratæ in Deum mentis labe ſibi impetrarent. Incedenti per vrbem muliercula ponè veſtem oſculo libauit, quod is conſpicatus mutato vultu gemens,quàm, inquit ad ſocium,plebs errat quæ peccatis ſcatenti famam arrogat probitatis.

Aliàs in Collegium reuertenti anicula ſimplex, Pater mi ſanɫe ait, benè quæſo,mihi precare, & crucem imprime vt quo modo ab annis aliquot; ita nunc liberam, quo dirè torqueor, dolor capitis me relinquat. Cui pudore ſuffuſus Pater, ſi mea inquit, audires peccata, reorum omnium nocentiſſimum iudicares, nedum ſanɫum, & mirabilium editorem. Confeſſarium adiens incurrit fortè in Franciſcum Riberam magnæ virtutis,& humanitatis virum, qui audito,quò iret,familiari ſuâ comitate; Ergo ait, tu quoque ad confeſſarium? Quid autem potes qui nunquam peccas confiteri? Erubeſcens ad hæc retulit Bernardinus; haud ſcio, Pater, quî poſſis de homine peccatis referto ita loqui? Et quia Riberam egregia charitas in iuuandis ægrotis & morti proximis commendabat, ſed notabatur de Chriſti paſſione opportuniſque in eum articulum ſat multa ſuggerens, non dare tempus illa cogitandi, hanc illi notam Bernardinus coram aliquibus,laudatâ prius ipſius operâ, non diſſimulauit, ſed ita vt totam in ſui verteret reprehenſionem; Nam, inquit, ſi Deus me priorem vocarit, oro Pater ſolitâ iuues charitate, interuallis tamen ad coquenda monita conceſſis, in hunc ferè, verbi cauſa, modum. Cogita Pater Bernardine, beneficia, quot & quanta

quanta Deus optimus in te contulerit; Quàm verò semper in eum ingratus extiteris, quàm malignè illi responderis, vel nunc saltem illum toto animo quære, illi te abiice, illum Patrem amantissimum agnosce; post hæc interseratur silentium, quò possim ex dictis proficere, sequeris deinde paulò post: Exiguum vitæ est quod restat Pater, Age nunc dum licet, & Deum placare contende, quem per omnem vitam exemplo malo, & offensione plurimorum læsisti; & hic iterum subsistes. Deinde pergens, Instat illa, mi Pater hora vadimonij terribilis obeundi, rationisque omnium in sæculo peccatorum ac tot annorum in Societate perperam consumptorum, tu cum vero de iis dolore misericordiam implora, vt instar prodigi eam inuenias, ac paternæ gratiæ reddaris. Hæc ita Vir Dei in aliorum auribus Riberam non tam præmonebat, quàm deprimendi sui causâ differebat, colligendæque apud illos opinionis de se triuialis.

Procuratori cuidam de anno ætatis requirenti cum se octogenarium dixisset, illéque subiiceret, ad hoc ipsi vitam tamdiu prorogari, vt præclaris ipsius, & perpetuis exemplis diutius homines fruerentur; minimè verò excepit Bernardinus, sed vt incipiam vel serò religiosum agere quod nondum feci.

Alteri dictum cuiusdam referenti effusè in Societatem maledici; nimirum perperam fieri quod inter tot prauos senex degeret tantæ bonitatis, bellè ait, rectèque dicitur, omnino perperam fieri, quod inter tot sanctos nequissimus viuat Bernardinus. Quæ item aliàs non rarò, vti sentie-

bat-

bat, apud Noſtros & cæteros vſurpabat.

Ad vſque octogeſimum ætatis annum tantùm abeſt vllius opem ad curam corporis aut cubiculi admiſerit, vt ipſe potius ægrotis ſæpius ad abiectiſſima, hoſpitibuſque inſeruierit, deiiciendi ſui anſam vndique prenſando; ex quo illa eius reſponſio quærenti numquid nam ambiret, hoc ſibi numquam in mentem veniſſe, ambire duntaxat culinarij mediaſtini prouinciam.

Bernardus Colnagus Rector Collegij Barienſis, elapſi ſæculi anno octogeſimo ſeptimo milliarium centum iter confecerat, hoc tantum animo vt Bernardinum conſpiceret, de cuius ſanctitate tàm ſingularia ferebantur; erat Bernardus Catenenſis egregiè doctus, virtute ſublimis, dum vixit & poſtea ſanctimoniæ famâ & mirabilium celebris, quorum cognitio publicis tabulis ad ſpes vlteriores inſtructa eſt. Dum ergo ſimul ſat longum ſermonem miſcuiſſent veſtem boni ſenis ad repetendum cubiculum conuerſi, oſculantem Bernardum ſua dexteritas fefellit, & aduertens ſenex quod res erat, factoque perſtrictus, & Pater Bernardus ait in cæremoniis etiam vertitur; certò non rectè ſe res habet; Tum viſu hilarior, mi Pater, inquit Bernardus es, ego Bernardinus hoc eſt Bernardo minor, meum eſt Bernardum obſeruare diſceréque ex eo aliquid virtutis eximiæ velut Tyrunculus ex emerito diſcit præceptore.

Concionatori noſtro per quadrageſimam iniectum eſt cælitus vt pomeridianis horis puellas paruulas doceret methodum ſacræ ſynaxis adeundæ, hoc feſtis diebus dum exequeretur placuit charitas Bernardino, venit ergo & ipſe aſſiduus &

attentus

attentus auditor magnâ ſpectantium approbatione; illamque humilitatem laudantium; ſed hoc multò magis cum puellis ſub finem docendi ex more precantibus rogatus à Concionatore, vt iis ac ſibi bene precaretur, obſtinabat animum recuſando, contendebatque vt cum illis ab eo ſibi benediceretur, & hanc modeſtiæ ambo de genibus miſcebant rixam quam ſemper vincebat Bernardinus cogebatque concionatorem aſſurgere, cunctiſque fauſta adprecari, præfatum id ab ſe ſuſcipi vt obtemperaret Bernardino; quod idem præfatus Bernardinus, concionatori ſcilicet, vt morem gereret, ipſe quoque felicem comprecationem omnibus impertiebatur.

Nitenti medico Ruffanenſi illius pedibus oſculum præbere, quod eo oſculo conſecrandum ſe totum quodammodo crederet, non obſtitit ſolum, ſed in genua proiectus ſeque multis modis deſpiciens velut nefas quoddam id ab ſe prohibuit.

Mandarat Rector ſæuiſſimâ hyeme ſenis lectulus vt calefieret; ſed hic tam multa in oppoſitum attulit, vt mandatum Rector ne eſſet moleſtus vrgere deſiſteret; verum pertinaciæ cuiuſdam in ſerotino examine ſeipſe notans poſtridie manè ad Rectoris pedes coram aliis prouolutus eius veniam petiit. Huic ſimile eſt quod poſt conſulta inter Patres Collegij, de indicto Iubilæo complura dubia euenit; Nam cum in omnibus eorum in ſententiam iuiſſet, vnâ quapiam in re ab Rectore, cæteriſque diſſenſit opinionemque contra illos ſuam paulò feruidiùs propugnauit.

Ergo die poſtera coram illis ex improuiſo apparuit,

paruit, petitaque Rectoris facultate proiectus in genua culpam ex charta fusè professus est, nimirum quòd pridie suam Rectoris sententiæ, ac reliquorum superbè prætulisset, quòd præ sui æstimatione spreuisset illorum rationes, quod præter obedientiam, suum moderatoris iudicio non accommodasset, quod sibi plus vnus, quàm communi toti arrogasset? quòd prauo exemplo senex iunioribus nocuisset; quòd nec rationibus, nec obiectis destitisset à pertinacia; quòd alia (nam septem & decem scripto distinxerat) in illâ vnâ peccasset culpa, quæ sibi humiliter ignosci poposcit, pedes adstantium in pœnam ad osculum prehensurus, nisi à Rectore vetitum fuisset, qui attonitis cæteris, raro illo sui abiiciendi documento, ac tacitè flentibus, surgere illum iussit, quæ si in quopiam indocto, ac simplicioris ingenij, sua tamen laude non carerent, quanto magis in nostro Bernardino omni literaturæ, scientiarumque genere instructissimo, in eruditorum Academiis cum admiratione sæpius audito, ab Externis iuxta & ab Nostris, magnis de rebus consuli solito; ab Cardinali Bellarmino (at quali viro! quàm exaggeratæ sapientiæ, & doctrinæ?) de quibusdam togato quæ illum Capuæ (cui Iussu Pontificis Episcopus præerat) non parùm habebant inquietum; A Patre Petro Spinello notæ in Italia virtutis, & Theologiæ in Libri Censorem arbitrarium delecto, quem de throno Dei postea edidit; à Patre Stephano Bineto celeberrimo in Gallia concionatore, de nonnullis conscientiæ officiis requisito, à multis Episcopis, Archiepiscopis, aliisque magnæ dignitatis famæque hominibus

pro oraculo adhibito ad dissoluendos nodos variarum dubitationum. Quid multa, Neapoli, vbi certè docti non deerant, ad illũ sciscitatum mittebatur, adiectâ nonnunquam doctorum sententiâ, vt ferret de illa iudicium, quòdque is sensisset prærogatiuam recti, veríque obtineret: Talis tamen ac tantus, occultabat has doctrinæ opes vt poterat, & aliorum gaudebat mentem, Româ Neapoli aliunde interrogare audireque. Multa enim fuerunt eius quæsita per literas ad Patrem Marium de Martellis, seu de Andica (nam & Patriæ nomen vulgò illi dabatur) Iuris Canonici peritissimum, & Theologiam de Moribus per annos amplius triginta Neapoli plausu incredibili professum; respondebat autem Marius clarissimo seni magis vt morem petenti gereret, quàm vt abundè doctum & sapientissimum aliquid doceret & responsione quadam ad illum suâ his verbis vtebatur: *Bone I E S V ego à te debeo doceri, & tu venis ad me?* At gaudeo humilitatem tuam, &c. in alia verò, Puto abs te, mi Pater id agi, vt pudore suffundar aut discam potiùs, quàm nos oporteat abiiciendi nostri esse studiosos, cum enim apprimè poësim calleas, volitétque per manus poëmata olim abs te in sæculo emissa, nostros tamen Grammaticæ Magistros de Syllabis, significatu vocum, tricisque talibus consulis; hæc autem sui contemnendi, deprimendíque cupiditas, quantam in eo vim obedientiæ sanctæ pepererit consequenti capite est videndum.

CAPVT XXXIV.

De illius obedientia.

MAgnum huius virtutis argumentum ex Bernardino quandoque exceptum est dicente, in obtemperando nihil se molestiæ aut difficultatis vnquam passum, negante præterea se vnquam scrupulis agitatum, quod vbicumque occurrerent mox de iis referret ad Rectorem, aut prudentem alium ac probum de quorum arbitrio suum penitus fingeret. Cum esset ad Collegij fabricam deiiciendum inter alia ipsius cubiculum, oblatam sibi ab Rectore optionem alterius recusauit; quòd non deceret, vel eos qui subsunt optare quod vellent, vel qui præsunt eorum arbitratu regi; Mihi tu potius cubiculum legito, mi Pater, & putato quodcunque legeris fore gratissimum. Monitus publicâ reprehensione (quâ solent certis temporibus næui singulorum emendari) videri de sua apud alios fide ambigere, quod inter loquendum, certò, certò iteratam affirmationem crebrò adhiberet, pro diuino monitum habuit, eâque deinceps in perpetuum abstinuit. Vestiebantur in festum imminens Templo parietes, & Rector illum tum fortè præsentem iussit coram externis qui aderant in scalas conscendere, manúmque vestientibus commodare. At is abiecta superiori veste, mox scalas arripere tametsi prælongas, ascensumque in illas inuadere, nisi Re-

ctor exemplo contentus expeditæ ad nutum obedie ntiæ, nihil esse iam opus innuisset. Ianitoribus atque æditiuis vltrò condonabat, ne cùm se vocarent accersentium titulos & cōditionem meminissent; sat esse, inquiens, si modò vocaretur, cuiuscumque tandem nomine fieret; ad vocantis autem velut Dei vocem exiliebat continuò, cœptumque duci characterem obediendi studio omittebat, ac si agentem cum viris primariis intercepisset signum æris domestici, mox se à Deo vel obedientia vocari excusans aduolabat, quod verò illa iniungeret volebat absque discrimine confestim occupari. Cuius consilij euentus narrantur singulares. Fuit Lupiis in Collegio Professor, cui parua sub dio, vel in humido mora temperiem cerebri euertebat, hunc Prouincialis media hyeme ac itinere dierum quatuor aliud in Collegium destinarat eius valetudinis ignarus, sibi ergo inde male metuentem firmauit Bernardinus: Sunt enim, mi Frater, ait, Dei verba quæ à moderatoribus proferuntur, proinde autor sum Rectori exponas quicquid times, ac si eundum censuerit cæco impetu pergas, easque intrepidus, audiuit consilium boni senis, tantúmque abfuit, vt ea illi profectio noceret, quin imò optimè ex priore illa inualetudine haberet.

Deliberabat Pater quidam de abiiciendo regendi munere, quod sibi hoc multis infestum scrupulis sentiret; rescripsit consulenti Bernardinus, obtemperandum moderatoribus tanquam Deo, sic enim illum perfecto coli holocausto, cui dicto obsequentem ea secuta est regendi facultas, atque felicitas, vt annos complures

cum

cum ingenti laude in eo posuerit.

Magno honore prosequebatur illos qui sibi præerant Bernardinus, vt etiam instar nouitij Rectorem quot hebdomadis adiret rationem animi redditurus, suosque in charta notatos defectus secum ferens, & quicquid interiorem sui spectabat curam, tandiúque aperto manebat capite, dum tegere iuberetur; Quamuis autem foret in conscientiæ casibus versatissimus, at suam in iis extricandis Rectoris sententiæ postponebat, Episcopos verò sic venerabatur, vt coram neque consideret, nec operiret caput nisi eorum imperio.

Dictitabat iam senex, se si Neapolim aut Romam improuisè Rector vellet proficisci canna sua contentum ac peditem iturum, nec iubenti quidquam obiecturum.

Nullis (quantum quidem resciri potuit) immunem se voluit obedientiæ officiis, ac ne literas quidem ad se vndique venientes nisi effracto saltem à Superioribus sigillo, sustinuit legere quamuis ab iisdém eas accepisset.

Redditam sibi à viro nobili Victorio Paiulio, Baronis epistolam hortante licèt multum Victorio, & tabellario responsum vrgente, persuaderi non valuit vt videret, quòd tùm Rector Collegio aberat, à quo resignari eam oporteret. Rectorem eius cubiculum serâ & claui parantem munire (ne vt fieri consuerat, pietatis causâ diriperetur ab externis) rogauit, ne faceret quò sua Regulæ intacta religio perstaret claudi Nostrorum cubicula prohibenti.

Attributo sibi postremis annis socio Adiutori non secùs parebat ac Præposito Generali. Ergo

cùm fœminæ Principes ad eum inuisendum Lupios appulsæ rectà in Collegium venissent ac Marchio Doria cum Baronibus aliquot, virisque primariis qui vnà venerant, iacentem in lecto salutasset, addidere Patres illum in Templo expectari à Marchionis Matre ac Duce Matertera, quibus hæc tantum itineris causa extitisset: verùm is nuncio subtristis rogauit suam iis probari excusationem, quod lecto surgere nequiret; Quod iam esset ad quæuis inutilis, quòd Templum adire sine graui periculo non valeret. Quòd posset melius à reliquis Patribus illorum satisfieri pietati: quæ ab eo non fictè dicebantur; sed fuerat planè ad eas iturus, nisi cognouisset videndi sui causâ ex proposito venisse. Postridie mane piâ fraude elusit socius piam cunctationem senis; & heus, inquit, Pater, Sacra hæc est Christo patienti, hebdomadæ dies, Euge, volo te in Templum deducere, vt Augustissimam adores ac suscipias Eucharistiam, sacróque intersis; ad quæ ille impigrè assurgit, cannaque & socio innixus in Templum peruenit, vbi diù hærens tandem Principes fœminas, quæ boni doli consciæ illuc redierant, venerabili conspectu, verbisque cœlestibus recreauit. Tantùm [illegible] apud Dei seruum Adiutoris socij volun[illegible] [illegible]erè tempore Marchio Spinazzolæ [illegible] [illegible]ecturus eum valedicendi grati[illegible] [illegible] obtinuitque ab eo [illegible] [illegible] ægre admodum ac [illegible] [illegible] ne se [illegible]igerum [illegible] [illegible] mole[illegible] [illegible] pos- [illegible] [illegible] gileolo [illegible] ma- [illegible] [illegible] quin[illegible] [illegible] esset [illegible] omni

omni dolore capitis immunis.

Atque hîc memoriâ repetendum, quod de huiusmodi pileolis pridem retulimus, iisque adiungendum (ne tam pretiosa fragmenta pereant) de Isabella Fuscaldiensi Marchione. Hæc totum iam annum contractis retrorsum deformem in modum cruribus, motus expers; lethali præterea destillatione ad extrema tendebat; accersitus ad illam ritè comparandam Pater Metellus Caracciolus è Societate, huic de Sancti Ignatij reliquiis admouit, quo Epiphoræ furentis nouus qui timebatur paroxismus non modò substitit, verùm ita præsens vitasse periculũ medicis visa est, vt qui paucas illi superare horas cẽsuissent, tũc posse putarint se tutò abire, sequenti die reuersuri, maneretque dumtaxat triennis cum paucis è famulitio filiola, hæc eodem cum matre cubili iacens, vidensque Bernardini pileolum quem Caracciolus ægrotæ reliquerat, ex ea quærit, quid hoc nigri esset, respondentique esse pileolum viri sancti: Ergo illum, inquit, si viri sancti est, cruribus applica, eaque confestim explicabis: Renuebat aliquamdiu mater, quod paulo ante coniux probauisset tunc quidem prius miraculum sat esse, non defuturum paulò post Sacerdotem, cuius sacra manu admoueretur residuo morbo pileolus: At, urgente ancillâ cubiculariâ filiolæ simplicis consilium è diuino fortè instinctu esse, Litanias præcepit inchoari, nuncupauitque Sancto Ignatio [illegible], vt vim pileolo adderet; post, illum cruribus [illegible] applicuerat, & nullo mox dolore vel [illegible]ea sensit, extendit, lectóque surrexit, [illegible] &. eorum qui aderant stupore potest intellig

intelligi melius quàm dici, ſed multò maiore coniugis, qui diuerſo in cubiculo ab ipſa excitatus, proripuit lecto ſe nec rei tam nouæ nec lætitiæ ſat capax, cœpitque cum omni familia Dei bonitatem, eiuſque ſerui Bernardini feſtis laudibus celebrare; Inde, vt illuxit Societatis in Templum eadem Marchio deuecta, ſed ipſis à foribus ad Aram principem aliaque ſacella piè, gratéque luſtranda ſuis pedibus incedens, acceptum beneficium manifeſtum fecit, cui tamen Medici cum etiam pharmacis conferre aliquid tentaſſent, potiùs nocuerunt, ac ne dubium foret, vnde ipſi conſtaret valetudo, ſi quando pileolum ſeponebat, impeditiora ſtatim experiebatur crura, expedita verò cum illum recepiſſet. Quare illum deinceps cum reliquiis B. Ignatij (quibus priorem debebat ſanitatem) in folliculo ſerico phrygij operis ſemper ſecum tulit.

Hieronymam Pandoniam ſororem Comitis Vgentini, Marani duabus Neapoli leucis, acerbiſſimus capitis torquebat cruciatus, hinc vitæ metuens ſuum è Societate confeſſarium, Neapoli accerſit, nec tamen paſſus eſt mali vigor eius operà illam vti: Ad hæc vterum octauo gerebat menſe, ac demum exilem medicis ſpem ſui dabat, ſed eam dedere merita Bernardini, eius enim pileolo indito, prehenſaque cannâ, extemplò dolor, ac non multò poſt febris penitus abſceſſere.

Andreas Rendius Sacerdos è Societate Regij in Calabria ſæpe & grauiter capite laborans, eódem pileoli remedio modò quidem perfectè, modò ſolùm ex parte leuabatur.

Zenobiam quoque Valignanam Chieſi in oppido

pido febrientem & vexatam capitis dolore ; Innocentium de Paula Catanzaræ Sacerdotem, sæuiore diutius detentum ; Benedictum Dottolam Rutilliani Archipresbyterum periculose dudum delirantem eiusdem attactus pileoli sanauit. Marcello Pignatello febri ac doloribus æstuanti Germanus Dux Bisaccienſis eumdem piè imposuit, & quidem momento doloribus absoluit, febrim verò illi non mediocriter mitigauit.

Robertum Antollietum anno toto ex apostemate febrim passum vitæque incertum mater simili præsidio curauit, admoto enim pileolo in somnum actus, vt euigilauit, matri significauit nihil sibi iam dolere ; Iubet illa Bernardino gratum *Pater* & *Aue*, recitare, vt ab eo plenè restitueretur; paret ac loco antea affecto pileolum applicat religioso osculo adoratum, qui vt excidebat identidem, ita dolori nudabat aditum, obstruebátque loco repositus ; sic dies aliquot in lecto egit, tum febri depulsa, abscissus pariter euanuit: Idem bimulus adhuc damnatúsque à medicis in noctem proximam, sub noctis medium totus diriguit, exporrectúsque instar cadaueris ad mortem vergere visus est. Hic materteræ subit de lacero quem seruarat Bernardini, galero, allatum puerulo iniicit animam agenti, qui mox recalescens oculos aperit, cibum poscit, inambulat, planéque liberatur.

Luciam Venturiam ad B. Ioannis Lupiis Monialem laudatus sæpe pileolus ex maligna febri, vitaque ancipiti persanauit. Lucretiæ Consilliæ post abortionem non semel factam idem impositus partum felicem restituit. Leonardo Cucurrio

adolescenti febri ardentissimâ iactato sudorem repentinum & valetudinem; Huius parenti Antonio Cucurrio intolerabili punctione lateris diuulso, subitam quietem adeóque immotam, vt efflasse animam videretur, sed ab Sybilla sorore appellatus, quæ pileolum ipsi admouerat, vultu hilari respondit se commodissimè valere. Denique Iulius Cæsar Blancus ad supremam luctam oleo inunctus indito sibi eodem pileolo tantum leuaminis è vestigio est expertus, vt posthabito quouis medicamento, breui pristinas vires collegerit. Sed iam fortassis digressi longiùs ad senis virtutes redeamus.

CAPVT XXXV.

De Paupertate, & Castimoniâ ipsius.

PAupertatem semper matris loco ab se adamatam regum opibus anteponens, esse illam aiebat per quam Deus animum locupletat. Ætate integra cum esset, gaudebat vicos in veste pannosa circumire, non modò despiciendi sui causâ, sed etiam vt cultu pauperum ac mendici schemate frueretur; delectabatur mendicatione ac similibus, quæ sunt propria egenorum. Neapoli quidam post confessionem nummum ei pro eleemosynâ carolinum, abiens reliquit; abeuntem perinde insecutus ac si carbonem ipse tenuisset, nummum vt reciperet coëgit. Annis religiosæ vitæ quinquaginta, nihil sibi sustinuit exhiberi, quod cum pau-

pertate

pertate minus consentiret; numquam etsi grauiter laborans compelli potuit, vt lecto sineret tentoriolum obduci; negans id genus commoditatis religiosos homines decere; nunquam vt panno indueretur nouo, prætexens virtuti fugam molestiæ, quam esset alioqui necessario subiturus, infectis nigro toties manibus abluendis; veste ergo munda atque compositâ, sed interpolatâ & depili vtebatur; nouæ cum afferrentur, dari alteri ad dies aliquot rogabat, dum nigroris florem manus fœdaturum excuterent; post vt probauerat illi optimè quadrare, tum demum euincebat, vt eas ille retineret. Superiorem vestem nouam repellenti P. Bellarminus tunc Prouincialis humeris iniecit, vetuitque aliam quærere. Præter illud autem quod ante scripsimus ad octogesimum ætatis annum quo vires, & corpus ex lapsu penitus infregit, nullius socij commodari sibi operam passus est; si carta, si atramentum, si quiduis aliud ineptum, vtebatur iis vt poterat, nihil improbans, nihilque præterea requirens: Ex missis ad se epistolis quammulta puræ cartæ segmenta decerpebat, in quibus deinde scribebat ad familiares, de quo ad fratrem, Scribo, ait in chartula, quod in domo pauperum nihil abundet, quamuis hacce in paupertate, quam in Aulæ delitiis commodius mihi sit; reconcinnabat ipsemet resarciebátque acu vestimenta, zonam gestabat ex duabus ferè, tribusve consutam partibus. Lupios cum venit lucernam ex ferro nactus ferreo item & vnco manubrio; hanc etsi visque adeò incommodam & angustam, vt quotidie non semel oleo egeret, procul extra cubiculum petendo, nunquam

adductus

adductus eſt, vt opportuniore permutaret, tantus inerat viro perpetuæ amor paupertatis ex quo etiam fiebat, vt ſi quando ceſſaret ab ſtudendo ſtatim vnâ lucernam extingueret, ac per apertam cubiculi ianuam infeſto frigore ex lucernâ communi & remotâ obſcurum lumen induceret.

Supremis vitæ temporibus appoſita mala quod cariuſculo ſtetiſſent ne voluit quidem attingere, dicens pauperem dedecere. Placebant ipſi quæ domi eſſent viliſſima, placebant pauperes, mirum quantum; horum preces poſcebat, hos expectabat, audiebat, docebat, excipiebat humanitate, comitate, eleemoſynis, omnique anſa beneficentiæ ad quam & agnatos & alios hortabatur.

Orantem egenum aduenam, vt ſe ad diem tantummodo ſequentem tecto exciperet, & vltrò & ſtatim tum excepit, tum per decem dies liberaliter habuit; ſi quid ſibi veniſſet alicunde id cum facultate, ſubtractis quoque ſibi neceſſariis diſtribuebat in pauperes; & huic eius tàm prono in illos animo hunc honorem quidam rependerunt, vt largam in illos erogarent ſtipem, ſoletque Catanzaræ familia quædam Iulij 2. quo die is in cœlum abiit, quinquaginta egenis epulum præbere. Et Ioſephus Vadacceus Lupiis certam legauit pecuniam in dotem Virginum orphanarum, quæ ſeptem numero illa ipſa die ante ſepulchrum viri Dei ſorte legentur præmiſsâ de ſyngrapho horũ verborum clara lectione, nempe ad ornandam memoriam magni ſerui Dei, Patris Bernardini Realini è Societate IESV pauperum parentis amantiſſimi, Ciuem illum eam in perpetuam legaſſe ſummam.

Vt porrò virtus ſanctæ paupertatis fuit in Bernardino eximia, ita caſtimoniæ ſplendore Angelum magis retulit quàm mortalem; nunquam niſi fixo in terram oculo agebat cum fœminis; nunquam niſi ſocio adſtante; nunquam diutiùs quàm res exigeret. Incedenti per vrbem aliquando cum occurriſſent nobiles fœminæ recens nuptæ, cultæque virorum dignitate, ſubſtitere ad eũ ſalutãdũ, quod cum à confeſſionibus haberent; ſubſtitit & ipſe, ſed ita oculis terrã figens, vt non aduerteret abſcedentes, eodemque loco, gradu, & obtutu hæreret, donec ab ſocio eundum moneretur, eámque videndi cautionem, & colloquiis fœminarum breuiter ſe expediendi religioſis viris ducebat obſeruandam; quaſdam verò ipſius prolixiora colloquia expetentes docuit in cœlo ea expectare; nunquam paruularum faciem puellarum, manus-ve vt tangeret adigi valuit, vrgentibus licèt ob valetudinem earum parentibus; nec Friderici Verardi Ciuis Lupienſis filiolæ aurem malè affectam vt cruce ſignaret, niſi velo tectam, quo ſigno illam perſanauit, & hunc viri magni candorem ſummæ caſtitatis muto, ſed euidenti præconio diuina bonitas decorabat, vt qui agerent cum illo ex eius corpore, ac rebus eius vſu tritis ſuauiſſimum odorem ſibi ſentirent inhalari, non vulgaris & notæ, ſed cæleſtis cuiuſdam fragrantiæ. At enim tam pulchri támque amabilis ac pretioſi floris cultura non minima cùm odio corporis, carniſque afflictatione conſtet, de hac cohærenter aliquid ponemus.

pro oraculo adhibito ad dissoluendos nodos variarum dubitationum. Quid multa, Neapoli, vbi certè docti non deerant, ad illũ sciscitatum mittebatur, adiectâ nonnunquam doctorum sententiâ, vt ferret de illa iudicium, quòdque is sensisset prærogatiuam recti, veríque obtineret: Talis tamen ac tantus, occultabat has doctrinæ opes vt poterat, & aliorum gaudebat mentem, Româ Neapoli aliunde interrogare audireque. Multa enim fuerunt eius quæsita per literas ad Patrem Marium de Martellis, seu de Andica (nam & Patriæ nomen vulgò illi dabatur) Iuris Canonici peritissimum, & Theologiam de Moribus per annos amplius triginta Neapoli plausu incredibili professum; respondebat autem Marius clarissimo seni magis vt morem petenti gereret, quàm vt abundè doctum & sapientissimum aliquid doceret & responsione quadam ad illum suâ his verbis vtebatur: *Bone IESV ego à te debeo doceri, & tu venis ad me?* At gaudeo humilitatem tuam, &c. in alia verò, Puto abs te, mi Pater id agi, vt pudore suffundar aut discam potiùs, quàm nos oporteat abiiciendi nostri esse studiosos, cum enim apprimè poësim calleas, volitétque per manus poëmata olim abs te in sæculo emissa, nostros tamen Grammaticæ Magistros de Syllabis, significatu vocum, tricisque talibus consulis; hæc autem sui contemnendi, deprimendíque cupiditas, quantam in eo vim obedientiæ sanctæ pepererit consequenti capite est videndum.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

De illius obedientiâ.

MAgnum huius virtutis argumentum ex Bernardino quandoque exceptum est dicente, in obtemperando nihil se molestiæ aut difficultatis vnquam passum, negante præterea se vnquam scrupulis agitatum, quod vbicumque occurrerent mox de iis referret ad Rectorem, aut prudentem alium ac probum de quorum arbitrio suum penitus fingeret. Cum esset ad Collegij fabricam deiiciendum inter alia ipsius cubiculum, oblatam sibi ab Rectore optionem alterius recusauit; quod non deceret, vel eos qui subsunt optare quod vellent, vel qui præsunt eorum arbitratu regi; Mihi tu potius cubiculum legito, mi Pater, & putato quodcunque legeris fore gratissimum. Monitus publicâ reprehensione (quâ solent certis temporibus næui singulorum emendari) videri de sua apud alios fide ambigere, quod inter loquendum, certò, certò iteratam affirmationem crebrò adhiberet, pro diuino monitum habuit, eâque deinceps in perpetuum abstinuit. Vestiebantur in festum imminens Templo parietes, & Rector illum tum forte præsentem iussit coram externis qui aderant in scalas conscendere, manúmque vestientibus commodare. At is abiecta superiori veste, mox scalas arripere tametsi prælongas, ascensumque in illas inuadere, nisi Re-

ctor exemplo contentus expeditæ ad nutum obedie ntiæ, nihil esse iam opus innuisset. Ianitoribus atque æditus vltrò condonabat, ne cùm se vocarent accersentium titulos & cõditionem meminissent; sat esse, inquiens, si modò vocaretur, cuiuscumque tandem nomine fieret; ad vocantis autem velut Dei vocem exiliebat continuò, cœptumque duci characterem obediendi studio omittebat, ac si agentem cum viris primariis intercepisset signum æris domestici, mox se à Deo vel obedientia vocari excusans aduolabat, quod verò illa iniungeret volebat absque discrimine confestim occupari. Cuius consilij euentus narrantur singulares. Fuit Lupiis in Collegio Professor, cui parua sub dio, vel in humido mora temperiem cerebri euertebat, hunc Prouincialis media hyeme ac itinere dierum quatuor aliud in Collegium destinarat eius valetudinis ignarus, sibi ergo inde male metuentem firmauit Bernardinus: Sunt enim, mi Frater, ait, Dei verba quæ à moderatoribus proferuntur, proinde autor sum Rectori exponas quicquid times, ac si eundum censuerit cæco impetu pergas, easque intrepidus, audiuit consilium boni senis, tantúmque abfuit, vt ea illi profectio noceret, quin imò optimè ex priore illa inualetudine haberet.

Deliberabat Pater quidam de abiiciendo regendi munere, quod sibi hoc multis infestum scrupulis sentiret; rescripsit consulenti Bernardinus, obtemperandum moderatoribus tanquam Deo, sic enim illum perfecto coli holocausto, cui dicto obsequentem ea secuta est regendi facultas, atque felicitas, vt annos complures

cum

cum ingenti laude in eo posuerit.

Magno honore prosequebatur illos qui sibi præerant Bernardinus, vt etiam instar nouitij Rectorem quot hebdomadis adiret rationem animi redditurus, suosque in charta notatos defectus secum ferens, & quicquid interiorem sui spectabat curam, tandiúque aperto manebat capite, dum tegere iuberetur; Quamuis autem foret in conscientiæ casibus versatissimus, at suam in iis extricandis Rectoris sententiæ postponebat, Episcopos verò sic venerabatur, vt coram neque considerct, nec operiret caput nisi eorum imperio.

Dictitabat iam senex, se si Neapolim aut Romam improuisè Rector vellet proficisci canna sua contentum ac peditem iturum, nec iubenti quidquam obiecturum.

Nullis (quantum quidem resciri potuit) immunem se voluit obedientiæ officiis, ac ne literas quidem ad se vndique venientes nisi effracto saltem à Superioribus sigillo, sustinuit legere quamuis ab iisdem eas accepisset.

Redditam sibi à viro nobili Victorio Paiulio, Baronis epistolam hortante licèt multum Victorio, & tabellario responsum vrgente, persuaderi non valüit vt videret, quòd tùm Rector Collegio aberat, à quo resignari eam oporteret. Rectorem eius cubiculum serâ & claui parantem munire (ne vt fieri consuerat, pietatis causâ diriperetur ab externis) rogauit, ne faceret quò sua Regulæ intacta religio perstaret claudi Nostrorum cubicula prohibenti.

Attributo sibi postremis annis socio Adiutori non secùs parebat ac Præposito Generali. Ergo

cùm fœminæ Principes ad eum inuiſendum Lupios appulſæ rectà in Collegium veniſſent ac Marchio Doria cum Baronibus aliquot, viriſque primariis qui vnà venerant, iacentem in lecto ſalutaſſet, addidere Patres illum in Templo expectari à Marchionis Matre ac Duce Matertera, quibus hæc tantum itineris cauſa extitiſſet: verùm is nuncio ſubtriſtis rogauit ſuam iis probari excuſationem, quòd lecto ſurgere nequiret; Quod iam eſſet ad quæuis inutilis, quòd Templum adire ſine graui periculo non valeret. Quòd poſſet melius à reliquis Patribus illorum ſatisfieri pietati: quæ ab eo non fictè dicebantur; ſed fuerat planè ad eas iturus, niſi cognouiſſet videndi ſui causâ ex propoſito veniſſe. Poſtridie mane piâ fraude eluſit ſocius piam cunctationem ſenis; & heus, inquit, Pater, Sacra hæc eſt Chriſto patienti, hebdomadæ dies, Euge, volo te in Templum deducere, vt Auguſtiſſimam adores ac ſuſcipias Euchariſtiam, ſacróque interſis; ad quæ ille impigrè aſſurgit, cannaque & ſocio innixus in Templum peruenit, vbi diù hærens tandem Principes fœminas, quæ boni doli conſciæ illuc redierant, venerabili conſpectu, verbiſque cœleſtibus recreauit. Tantùm valuit apud Dei ſeruum Adiutoris ſocij voluntas. Hoc ferè tempore Marchio Spinazzolæ Lupiis profecturus eum valedicendi gratia conuenit, obtinuítque ab eo quo vtebatur pileolum, ſed ægrè admodum ac ſolùm, præcepto Rectoris ne ſe immorigerum præberet, ceſſit, & ſocio moleſtius aliquid poſcenti, nimirum ei pileolo ducta in crucem manu precaretur, vt quiſquis hunc geſtaret eſſet

omni

omni dolore capitis immunis.

Atque hîc memoriâ repetendum, quod de huiusmodi pileolis pridem retulimus, iisque adiungendum (ne tam pretiosa fragmenta pereant) de Isabella Fuscaldiensi Marchione. Hæc totum iam annum contractis retrorsum deformem in modum cruribus, motus expers; lethali præterea destillatione ad extrema tendebat; accersitus ad illam ritè comparandam Pater Metellus Caracciolus è Societate, huic de Sancti Ignatij reliquiis admonuit, quo Epiphoræ furentis nouus qui timebatur paroxismus non modò substitit, verùm ita præsens vitasse periculũ medicis visa est, vt qui paucas illi superare horas cẽsuissent, tũc posse putarint se tutò abire, sequenti die reuersuri, maneretque dumtaxat triennis cum paucis è famulitio filiola, hæc eodem cum matre cubili iacens, vidensque Bernardini pileolum quem Caracciolus ægrotæ reliquerat, ex ea quærit, quid hoc nigri esset, respondentique esse pileolum viri sancti: Ergo illum, inquit, si viri sancti est, cruribus applica, eaque confestim explicabis: Renuebat aliquamdiu mater, quod paulo ante coniux probauisset tunc quidem prius miraculum sat esse, non defuturum paulò post Sacerdotem, cuius sacra manu admoueretur residuo morbo pileolus: At, vrgente ancillâ cubiculariâ filiolæ simplicis consilium è diuino fortè instinctu esse, Litanias præcepit inchoari, nuncupauitque Sancto Ignatio votum, vt vim pileolo adderet; post, illum cruribus vix applicuerat, & nullo mox dolore vel morâ solui ea sensit, extendit, lectóque surrexit, quanto suo & eorum qui aderant stupore potest

intelligi melius quàm dici, ſed multò maiore coniugis, qui diuerſo in cubiculo ab ipſa excitatus, proripuit lecto ſe nec rei tam nouæ nec lætitiæ ſat capax, cœpitque cum omni familia Dei bonitatem, eiuſque ſerui Bernardini feſtis laudibus celebrare; Inde, vt illuxit Societatis in Templum eadem Marchio deuecta, ſed ipſis à foribus ad Aram principem aliaque ſacella piè, gratéque luſtranda ſuis pedibus incedens, acceptum beneficium manifeſtum fecit, cui tamen Medici cum etiam pharmacis conferre aliquid tentaſſent, potiùs nocuerunt, ac ne dubium foret, vnde ipſi conſtaret valetudo, ſi quando pileolum ſeponebat, impeditiora ſtatim experiebatur crura, expedita verò cum illum recepiſſet. Quare illum deinceps cum reliquiis B. Ignatij (quibus priorem debebat ſanitatem) in folliculo ſerico phrygij operis ſemper ſecum tulit.

Hieronymam Pandoniam ſororem Comitis Vgentini, Marani duabus Neapoli leucis, acerbiſſimus capitis torquebat cruciatus, hinc vitæ metuens ſuum è Societate confeſſarium, Neapoli accerſit, nec tamen paſſus eſt mali vigor eius operâ illam vti: Ad hæc vterum octauo gerebat menſe, ac demum exilem medicis ſpem ſui dabat, ſed eam dedere merita Bernardini, eius enim pileolo indito, prehenſaque cannâ, extemplò dolor, ac non multò poſt febris penitus abſceſſere.

Andreas Rendius Sacerdos è Societate Regij in Calabria ſæpe & grauiter capite laborans, eodem pileoli remedio modò quidem perfectè, modò ſolùm ex parte leuabatur.

Zenobiam quoque Valignanam Chieſi in oppido

pido febrientem & vexatam capitis dolore; Innocentium de Paula Catanzaræ Sacerdotem, sæuiore diutius detentum; Benedictum Dottolam Rutilliani Archipresbyterum periculosè dudum delirantem eiusdem attactus pileoli sanauit. Marcello Pignatello febri ac doloribus æstuanti Germanus Dux Bisaccienfis eumdem piè imposuit, & quidem momento doloribus absoluit, febrim verò illi non mediocriter mitigauit.

Robertum Antollietum anno toto ex apostemate febrim passum vitæque incertum mater simili præsidio curauit, admoto enim pileolo in somnum actus, vt euigilauit, matri significauit nihil sibi iam dolere; Iubet illa Bernardino gratum *Pater* & *Aue*, recitare, vt ab eo plenè restitueretur; paret ac loco antea affecto pileolum applicat religioso osculo adoratum, qui vt excidebat identidem, ita dolori nudabat aditum, obstruebátque loco repositus; sic dies aliquot in lecto egit, tum febri depulsa, abscissus pariter euanuit: Idem bimulus adhuc damnatúsque à medicis in noctem proximam, sub noctis medium totus diriguit, exporrectúsque instar cadaueris ad mortem vergere visus est. Hic materteræ subit de lacero quem seruarat Bernardini, galero, allatum puerulo iniicit animam agenti, qui mox recalescens oculos aperit, cibum poscit, inambulat, planéque liberatur.

Luciam Venturiam ad B. Ioannis Lupiis Monialem laudatus sæpe pileolus ex maligna febri, vitaque ancipiti persanauit. Lucretiæ Consilliæ post abortionem non semel factam idem impositus partum felicem restituit. Leonardo Cucurrio

adolescenti febri ardentissimâ iactato sudorem repentinum & valetudinem; Huius parenti Antonio Cucurrio intolerabili punctione lateris diuulso, subitam quietem adeóque immotam, vt efflasse animam videretur, sed ab Sybilla sorore appellatus, quæ pileolum ipsi admouerat, vultu hilari respondit se commodissimè valere. Denique Iulius Cæsar Blancus ad supremam luctam oleo inunctus indito sibi eodem pileolo tantum leuaminis è vestigio est expertus, vt posthabito quouis medicamento, breui pristinas vires collegerit. Sed iam fortassis digressi longiùs ad senis virtutes redeamus.

CAPVT XXXV.

De Paupertate, & Castimoniâ ipsius.

PAupertatem semper matris loco ab se adamatam regum opibus anteponens, esse illam aiebat per quam Deus animum locupletat. Ætate integra cùm esset, gaudebat vicos in veste pannosa circumire, non modò despiciendi sui causâ, sed etiam vt cultu pauperum ac mendici schemate frueretur; delectabatur mendicatione ac similibus, quæ sunt propria egenorum. Neapoli quidam post confessionem nummum ei pro eleemosynâ carolinum, abiens reliquit; abeuntem perinde insecutus ac si carbonem ipse tenuisset, nummum vt reciperet coëgit. Annis religiosæ vitæ quinquaginta, nihil sibi sustinuit exhiberi, quod cum pau-

pertate

pertate minus consentiret; numquam etsi grauiter laborans compelli potuit, vt lecto sineret tentoriolum obduci; negans id genus commoditatis religiosos homines decere; nunquam vt panno indueretur nouo, prætexens virtuti fugam molestiæ, quam esset alioqui necessario subiturus, infectis nigro toties manibus abluendis; veste ergo munda atque compositâ, sed interpolatâ & depili vtebatur; nouæ cum afferrentur, dari alteri ad dies aliquot rogabat, dum nigroris florem manus fœdaturum excuterent; post vt probauerat illi optimè quadrare, tum demum euincebat, vt eas ille retineret. Superiorem vestem nouam repellenti P. Bellarminus tunc Prouincialis humeris iniecit, vetuitque aliam quærere. Præter illud autem quod ante scripsimus ad octogesimum ætatis annum quo vires, & corpus ex lapsu penitus infregit, nullius socij commodari sibi operam passus est; si carta, si atramentum, si quiduis aliud ineptum, vtebatur iis vt poterat, nihil improbans, nihilque præterea requirens: Ex missis ad se epistolis quammulta puræ cartæ segmenta decerpebat, in quibus deinde scribebat ad familiares, de quo ad fratrem, Scribo, ait in chartula, quod in domo pauperum nihil abundet, quamuis hacce in paupertate, quàm in Aulæ delitiis commodius mihi sit; reconcinnabat ipsemet resarciebátque acu vestimenta, zonam gestabat ex duabus ferè, tribusve consutam partibus. Lupios cum venit lucernam ex ferro nactus ferreo item & vnco manubrio; hanc etsi vsque adeò incommodam & angustam, vt quotidie non semel oleo egeret, procul extra cubiculum petendo, nunquam

adductus

adductus eſt, vt opportuniore permutaret, tantus inerat viro perpetuæ amor paupertatis ex quo etiam fiebat, vt ſi quando ceſſaret ab ſtudendo ſtatim vnâ lucernam extingueret, ac per apertam cubiculi ianuam infeſto frigore ex lucernâ communi & remotâ obſcurum lumen induceret.

Supremis vitæ temporibus appoſita mala quod cariuſculo ſtetiſſent ne voluit quidem attingere, dicens pauperem dedecere. Placebant ipſi quæ domi eſſent viliſſima, placebant pauperes, mirum quantum; horum preces poſcebat, hos expectabat, audiebat, docebat, excipiebat humanitate, comitate, eleemoſynis, omnique anſa beneficentiæ ad quam & agnatos & alios hortabatur.

Orantem egenum aduenam, vt ſe ad diem tantummodo ſequentem tecto exciperet, & vltrò & ſtatim tum excepit, tum per decem dies liberaliter habuit; ſi quid ſibi veniſſet alicunde id cum facultate, ſubtractis quoque ſibi neceſſariis diſtribuebat in pauperes; & huic eius tàm prono in illos animo hunc honorem quidam rependerunt, vt largam in illos erogarent ſtipem, ſoletque Catanzaræ familia quædam Iulij 2. quo die is in cœlum abiit, quinquaginta egenis epulum præbere. Et Ioſephus Vadacceus Lupiis certam legauit pecuniam in dotem Virginum orphanarum, quæ ſeptem numero illa ipſa die ante ſepulchrum viri Dei ſorte legentur præmiſsâ de ſyngrapho horũ verborum clara lectione, nempe ad ornandam memoriam magni ſerui Dei, Patris Bernardini Realini è Societate IESV pauperum patris amantiſſimi, Ciuem illum eam in perpetuum legaſſe ſummam.

Vt porrò virtus sanctæ paupertatis fuit in Bernardino eximia, ita castimoniæ splendore Angelum magis retulit quàm mortalem; nunquam nisi fixo in terram oculo agebat cum fœminis; nunquam nisi socio adstante; nunquam diutiùs quàm res exigeret. Incedenti per vrbem aliquando cum occurrissent nobiles fœminæ recens nuptæ, cultæque virorum dignitate, substitere ad eū salutādū, quod eum à confessionibus haberent; substitit & ipse, sed ita oculis terrā figens, vt non aduerteret abscedentes, eodemque loco, gradu, & obtutu hæreret, donec ab socio eundum moneretur, eámque videndi cautionem, & colloquiis fœminarum breuiter se expediendi religiosis viris ducebat obseruandam; quasdam verò ipsius prolixiora colloquia expetentes docuit in cœlo ea expectare; nunquam paruularum faciem puellarum, manus-ve vt tangeret adigi valuit, vrgentibus licèt ob valetudinem earum parentibus; nec Friderici Verardi Ciuis Lupiensis filiolæ aurem malè affectàm vt cruce signaret, nisi velo tectam, quo signo illam persanauit, & hunc viri magni candorem summæ castitatis muto, sed euidenti præconio diuina bonitas decorabat, vt qui agerent cum illo ex eius corpore, ac rebus eius vsu tritis suauissimum odorem sibi sentirent inhalari, non vulgaris & notæ, sed cælestis cuiusdam fragrantiæ. At enim tam pulchri támque amabilis ac pretiosi floris cultura non minima cùm odio corporis, carnisque afflictatione constet, de hac cohærenter aliquid ponemus.

CAPVT XXXVI.

De odio corporis, eiusque afflictatione.

IN hoc summa castimoniæ vertitur, quam profitentur viri sancti, non vt voluptatibus solùm corpus abstineant, sed quibuscunque possunt molestiis, & cruciatibus diuexent. Huic Bernardinus ad summum quaternas nocturni somni horas dabat, quò plus ad orandum suppeteret temporis; nunquam verò meridiabatur, lepidè affirmans illud Salernitanæ scholæ de meridiani somni fuga semper sibi visum ad valetudinem multum conducere, nisi fortè breuis, incommodi, & coacti; annis compluribus vestes dormiturus non exuit, in lecto nonnunquam, aliàs in nudis asseribus dormiens; sæpe verò exutus sed absque linteis, causatus lanei calorem straguli sibi esse opportuniorem; siue autem æstas, siue hyems sæuiret, vno tantùm stragulo vtebatur, mirantibusque tolerantiam vtriusque, piè iuxta, scitéque asserebat se verbis illis *Benedicite glacies, & niues Domino*, calorem; illis, *Benedicite ignis & æstus Domino*, frigus continuò euocare. Iussus ob morbum ineuntem detractis vestibus inter lintea mina quietem capere, Deo gratias agebat, sibi toties inferos commerito, lectum mollem, & commodum indulgenti, nec interea lacrymas tenebat; mattam laneam aut ceruical sibi nunquam siuit carminari; sed factum volente socio cum

esset;

esset; mihíne, ait, lecti mollitiem? mihi, inquã humi decubituro conuenientius? Iam de cibo quid dicam? Nàm etsi aperto ieiunio tres per hebdomadam colebat dies, quorum duos pane & aqua transigebat, reipsa tamen dici potest, quotidianum ieiunium vsurpasse, adeò minimi erat cibi, neque amplioris quàm ieiunantibus in seram cœnulam à Doctoribus permittatur; ac testantur multi à se diligentius obseruatum extra sex vncias (quinque alij ponunt) non exisse. Quibus autem diebus indicta erant ieiunia, erat erga se solito parcior, sumensque aliquantum panis, alia verò duntaxat libans esum simulabat; vt esset prodigio simile tam nullo ipsum nutrimento ali; è contrario vel aiebat se affatim edere, vel ad suam gulam tam malè condita, vulgariaque non facere; ex iis tamen quæ suggerebantur intactis reliquis deterrima sibi seligebat, iamque natu grandis vernum ieiunium solidè traduxit solis contentus panum micis; annos verò aliquot buccellato pane in puluerem trito, cruda cicorea & aqua pura. Sacris hebdomadæ sanctioris, & quibusdam per annum diebus triclinio prorsus abstinebat; pauxillũ fœniculi, aut vuę passę, vel buccellati panis comminuti, quantum cœpisset cocleare intra cubiculum sumebat; semelque sub Christi natalem mansit quatriduo integro ieiunus, & satisfecit pro more hilariter moderatori hoc increpitanti illo Christi verbo, *Non in solo pane viuit homo.* Omitto cilicia & flagella quorum frequentem celare vicinos crepitum nequibat; sileo, quod aliàs attigi de aqua interdum in eluendis lancibus tàm vrente vt cutem manibus detraheret

deret, nunquam enim illam frigidâ temperabat. Lauabat sæpè per hyemem manus quò magis vt aiebat ad sacrum niterent, sed calculosâ arenâ confricans quâ illas miserè cruentabat, subridensque commiserantibus, asserebat, tolli earum callos haud aliter posse.

Anni cuiusdam acerrimum frigus æstiuâ in veste exigens, sic Deo placuit vt Christo nascenti sacrâ nocte meditantis cubiculum lux diuina implerit, senseritque se nomine appellari; rogans verò, quis eum vellet, en adsum, infit Christus, séque in splendido circulo infantem exhibuit, diductis à pectore vestibus illum in cor suum tacitè inuitans; Demùm ex illa erumpens luce in Bernardini amplexum euolauit, qui tam dulce pignus appressum pectori hora ferè mediâ continens, ita calorem emortuum suscitauit, vt esset hyeme illâ totâ quàm ante viuacior: Nec illi sat fuit occasiones sui edomandi excipere, excogitabat illas industrio suimet odio; tonderi volebat ab imperitis tonsoriæ illósque artem suo periculo, seu ludibrio discere; aliquando etiam fratres Collegij, eius rudes sigillatim omnes voluit suo in capite exerceri; externus verò tonsor illius aure forficibus perstrictâ conturbatus, vulneris veniam cùm rogaret; Cuius, inquit, Pater, cuiusnam vulneris? perge, porrò, nihil enim istuc est, risusque tum vulnus, tum dolorem elusit; fluebat tamen ea copia sanguis, vt sudariolis & mappis diu exsugi nequiuerit. Quandoque alia ex causa cum tantum cruoris profudisset, vt per laneam mattam etiam humum irrigaret non absque vitæ discrimine, nihilo tristior aut magis trepidus, quàm

quàm si nihil id foret ingredientes cubiculum spectabat periculi magnitudine attonitos. Febricitanté cum Iunio mense ægrorum custos ieiunũ ad horam vigesimam, memoriæ vitio prætexisset; ipse rem silentio negligens, ita constitutum à medico putauit. Natum in ore apostema dum secatur, exprimitur, purgatur, immobilis perstitit, magnâ illorum qui aderant celebratione ac stupore. Infestissimos Lupiis culices ab se minimè abigebat, quamuis diuturnâ punctione dolorem inurerent, maléque faciem deformarent; frigidissimum hyeme, calidissimum æstate cubiculum nullo temperamento corrigi permisit. Cum supinus in sede concidens caput in terram allisisset, implicitisque sedi cruribus inhærens per horam fermè ob debile senium se non euolueret, intranti, exclamantique ad horrorem casus, arridens ait; nihil hoc esse, séque bellissimè valere, ex eo tamen per multos dies, cum multâ doloris acerbitate decubuit, his & similibus hilaritatem præferebat, edoctus esse indicia diuinæ beneuolentiæ, seruare illos quibus eã immiteret cupientis, quo sensu ad quemdam scribebat: Aduersis minimè conturbor, inferiores ratus causas ab supremâ regi, cumque omnes effectus primitùs à Deo prodeant, licèt in causa inferiore variè temperentur statuo illos esse bonos; & ex consequenti amabiles; Quare paratum cor meum ad omnia. Ad alium verò, hâc ait Iobi sanctissimi voce (*Sicut Domino placuit, ita factum est*) assueui cuncta quę contra quam vellem accidunt, mulcere; & sanè quod factum est ambigere non debemus, quin fieri Deus voluerit, cum causis infi-

mis ad effecta quæuis ſublimiorē adeſſe oporteat, effecta, inquam, vt peccatum excludam, quod per ſe defectus eſt, non effectus, idcirco cauſam non habet effectricem, ſed deficientem, voluntatis ſcilicet noſtræ malitiam: Cognata eſt mortificationi veræ, aliique virtutes cæteras precatio, de cuius ſtudio in Bernardino ſingulari, ſubdemus.

CAPVT XXXVII.

De Oratione.

FVit quidem ipſius vita perpetua ferè precatio; ſitus verò priuatim orantis, expanſis in crucem manibus, vel ante pectus decuſſatis, in cubiculi medio, ad ſacram imaginem precatorij cubitalis, procul conuerſum de genibus niti, nec rarò etiam infirmus ab ægrotantium curatore ſic deprehenſus eſt intempeſtâ nocte, nempe media in cella, nulloque accubitu de geniculis orans; notatum etiam à nonnullis maximam noctis partem precando expendiſſe; tum nudis in tabulis ad ſomnum ſe compoſuiſſe; interdiu autem, quicquid ab ſtudiis, & iuuando proximo vacabat, id omne in preces conferebat, & fuere qui ternas & quaternas horas pergere in iis immobilem viderunt; poſtremis certè hilarium diebus à mane ad veſperam, dempto ſolùm prandij ſpatio, coràm Auguſtiſſimo Sacramento ſupplicans hærebat? imò ſtudenti quoque, edenti, colloquenti erumpebant ignita verbula, quæ occupatam

Chriſti

Christi mysteriis prodebant cogitationem, vt illa, Saluatori laus? Quàm Magnus Dominus? ô Dei Maiestatem? ô Magna Dei Mater. O quàm pulchra est in Throno illo, Cœli Regina? Aliàs extra se abripiebatur truncique instar, & statuæ motu nullo vsum sensuum indicabat, ita vt cum primariis orando (quorum sodalitio præerat) quidam exploraturi accederent, num re ipsâ corpus ab anima destitueretur; ex quibus facilè quiuis conficiet quàm esset huius eloquentię peritus, qua ipse Deus expugnatur. Interrogatus ergo de orandi modo; consueuerat respondere, optimum fore, intermisso nonnunquam historiæ filo; *Pater*, & *Aue* recitare, ad implorandam Christi opem, eiusque Matris sanctissimæ; optimum quoque ad excitandos sensus teneræ pietatis; manus ad Deum supplices tollere; prouolui in genua, dolere quod parcius excipiare à Domino, téque illius affabilitate indignum agnoscere; meminisse Cananæam, superatis repulsis, tandem voti potitam; cum ardore, ac studio dicere; Cui verò vnquam suauissime Domine defuisti? aut potes minus esse quàm sint à te condita liberalis, en ille interea princeps, & luminum pater, ne à cloacis quidem putentibus radios deflectit. Leguntur præterea in aduersariis quibusdam Bernardini manu, quæ sequuntur. Incurrente fortassis interim dum oro, cogitatione aliena iuuerit brachia in crucem porrigere, magnoque impetu in rem quam meditor animum tendere; præcipuè verò Christum intueri sub cruce, spinisque fatiscentem, corámque proiecto humi vultu ter solum osculo lambere; proderit item, si genua dolebunt

cum Magdalena assidere, measque deflere miserias, cum tantarum Christo pœnarum causa sim; si renes defecerint, surgam, & pedes è cruce pendentis, sublatis manibus complectar, vel Martyrem quempiam memoriâ repetam, & erubescam miser, ad eius cruciatus, qui extorquere ex me non valeam, vt breue tempus de genibus traducam. Erat autem eius precatio tàm potens, vt obtineret quæcunque voluisset, illamque plurimi huius efficaciæ non ignari vndique ambirent, atque vt missos faciam cæteros, sic ad illum Philippus Spinellus Cardinalis: Rogo Reuerentiã vestrã pro singulari sua charitate, & in Patrẽ Antonium Spinellum filium suum, fratrem meum beneuolentia, vt velit Deo eiusque Matri Sanctissimæ, B. Ignatio, sanctisque de Societate, & aliis quos peculiari cultu prosequitur, ac Sancto Carolo commendare ignitis precibus multiplicem quandam, grauémque animæ meæ egestatem, aliaque nonnulla in quibus duntaxat fieri cupio, quod Deo futurum sit gratius; Quare opituletur mihi tum cæteris precibus, tum (dicam fortè audentius) ter ante Aram Eucharistiæ venerandæ, ante Aram Beatissimæ Deiparæ quinquies, & huic meæ ignoscat importunitati, statuatque me nominè paupertatis hanc pro Christi amore gratiam flagitare.

Cum esset tanta Bernardino precandi felicitas & diligentia, multis recreabatur visis cælestibus, inter quæ Anno elapsi sæculi nonagesimo octauo decumbens noctu, sed vigilans, & orans, Deiparam vidit cum Infante IESV secúmque audiuit colloquentem, ex quo tantum ipsi prorupit lacrymarum

crymarum, vt matutinus excitator, ſuſpiriis motus exploraret propiùs, quid id eſſet, intuitúſque placidiſſimè lacrymantem interrogaret, quid ei eueniſſet. At ille, ô frater, inquit, ô mi frater, ſi interfuiſſes ſpectaculo, quod mihi oblatum eſt? ô excellentiam gratiæ ſingularis; vrgentique, vidi, ait, Beatiſſimam Virginem, purpurea in veſte, ac ſtola cæruleâ admirabili ſpecie, vt referri verbis tanta nequeat pulchritudo; Quin & Infantem IESVM delicias ſuas mihi tradidit ſuſtinendum. Quæ tùm ſtatim frater Rectori detulit, ac aliis deinceps, ipſique Spinello Prouinciæ Præfecto Lupienſe Collegium luſtranti. Idem verò Petrus Antonius Spinellus animaduertit quandoque Bernardinum ore inflammato, ac madente immobilem ſublimes oculos in Virginis tabulam habere defixos, quamdiu Litaniæ in templo à noſtris obibantur, cum eſſet ſolitus orando illos deiicere, cuius rei cauſam cum reſcire omnino Spinellus voluiſſet. Scias, inquit, mi Pater, ſpectandam ſe mihi exhibuiſſe Dei Matrem, miro ſplendore circumfuſam, mihique pectus pio ardore incendiſſe: quod viſum Prouincialis quibuſdam aperuit ipſique Vrbis Epiſcopo, ac poſt obitum ſerui Dei, conuerſo in ſacellum eius cubiculo, fuit tabula illa ſacelli Aræ impoſita.

Haud ſcio, quod mox narrabitur, idem cum eo ſit, quod ſuperiori capite poſitum eſt. certè habet non minus admirationis & iucunditatis. Septuaginta iam natus annos apud Rectorem nihilominus effecerat, ſibi vt liceret, ad imitationem illius frigoris quod Chriſtus in præſepi tulit, æſtiuo hyemem veſtitu exigere; exegitque à prin-

cipio Autumni ad vſque Natalem Seruatoris: Nocte igitur naſcenti feſtâ confitentibus in templo dans operam, rigore tàm valido ſuccutiebatur, vt ſedem vnà, ſedique innixos concuteret, ac Iſabellæ Venturiæ nobilis fœminæ hortatu, remitteretur in cubiculum à Rectore (qui & ipſe templo tunc aderat) iuberetur que ad illum foculus inferri. En autem illic, myſterio quod celebrabatur cogitatione altè inſiſtenti, videndam ſe exhibet fulgenti in luce Dei Mater, Beatis mentibus ſtipata, ſuauiſſimo concentu aſperam noctem mulcentibus, ac puerum IESVM in amplexus, & ſuauia illi tradit eâ refuſæ lætitiæ copia, vt audiretur à prætereuntibus exclamans; tantillum adhuc ô Domine, pauxillum adhuc remorare, nec reliquâ hyeme, præ conceptâ interiùs flammâ quidquam externi frigoris ſentiret.

Interdum noctu Metellus Caracciolus dum Lupiis concionaretur, ibat in Bernardini cubiculum, petens nùm qua re indigeret; verè autem explorans quid ageret, reperiebatque in verſanda Virginis corona continenter occupatum; hic autem de Virgine ſermonem ingrediebantur, quod verbis adeo incenſis aliquando ab ſene factum eſt, vt concionator ex eo quæreret illamne vnquam adſpexiſſet, cui ſimpliciter (qua ſimul agebant ingenuitate) ſibi verò ait apparuiſſe illam ſemel per horæ quadrantem in cubiculo, quod olim habitarat, ſeque infinito gaudio cumulaſſe.

Franciſcum Racinam è Societate Adiutorem cupido ſubiit reſciendi ex ipſo Bernardino, an quod vulgò circumferebatur, ſæpius Virginem

eſſet

esset contuitus; ac vt assueuerat cum illo de rebus diuinis agere, longius cœpit institutum moliri, ac dicere; cultum Deiparæ, qui certissimus est ad perfectam virtutem aditus, videri sibi posse in animo mirabiliter augeri, si foret diuinæ illius formæ nota homini pulchritudo, sed dubitare se an posset agnosci, nisi oculis spectaretur; cui rectè dictum respondit senex, nam se quod eam vidisset aliquando, probè illius conscium formæ esse, præ quâ, quicquid formosum in terris cernitur, posset deforme iudicari; tùm sensim faciem illius, colorem, lineamenta, orisque habitum, ac speciem omnem ita distinctè verbis depingere, ac si præsentem contemplaretur; Quæ vt plenius frater erueret; vtrum-ne in somnis, ait, id visum contigit? Ita-ne in somnis? nihil minus, inquit, Dei seruus, vigilans, cernensque apertis, vt iam sunt oculis, eam vidi; subdenteque alio mirum esse quod semel oculis vsurpatam, ita ad viuum exprimeret; candidissimo seni dicere excidit, non tantum semel, sed sæpè sæpiùs ab se visam.

Patri verò Spinello cum dixisset, videri sibi parentem Virginem semper oculis obuersari, quod sibi hanc Deus seni gratiam donasset, illam, vt animo præsentem haberet perpetuo; semotis nutu arbitris Spinellus interrogauit, nùm etiam oculis; nec mente solum esset intuitus, respondit se quidem non semper, sed ferè semper intueri.

Biennio prius quàm fato fungeretur, Christi supplicia mortemque meditans, illum vidit in Caluario monte crudeliter à militibus nudari,

clauiſque configi, Iudæis interim conuitia in illum, ſannaſque iactantibus. Quo aſpectu hauſit accerbiſſimum animo dolorem, totumque ſe in fletus effudit, quos idem paulò poſt inter Beatas mentes, veluti ſol alter, comparens ab inferis rediuiuus, miris gaudiis abſterſit; moxque Bernardinus, vtrumque ſpectaculum ſic duplici diſticho comprehendit.

Me miſerum; in lacrymas totus conuertor amaras
Dum video Chriſti tradita membra Cruci.
Me quoque felicem, Chriſti dum gaudia cerno
Angelicos inter glorificata choros.

CAPVT XXXVIII.

De cultu ſingulari Auguſtiſſimi Sacramenti & Sanctiſſimorum IESV ac MARIÆ nominum.

PRæter illa quæ quiſque Noſtrorum Diuiniſſimo Sacramento ferè perſoluit officia, erant quædam peculiaria Bernardino, cum enim vel ritu vel occaſione proponebatur populo adorandum, hærebat is coram per aliquot horas, eratque non rarò inde reuocandus, vt ſe in cubiculum reciperet: Interdum putans locum arbitro vacare, in Aræ Maioris gradibus genua flectebat, expanſiſque

ſiſque illic in crucem brachiis horas penè integras agebat. Accurrit ad illum mulier quadrimum filium adducens, quem pauens & magnopere indignans aiebat in confertâ ſynaxi ſacram Euchariſtiam percepiſſe, cui ſubridens Pater, Feciſſet, inquit, Deus, tam ſanctè illam caperet Bernardinus, quàm ſanctè excepit Carolus (erat id puerulo nomen) moxque illam in eius pectore poſitis genibus adorans, iuſſit illum quoque de genibus recitare precatiunculas quaſcunque memoria tenebat. Suadebat quà verbis, quà literis frequentem ſacræ menſæ vſum, vtilitates eius, fructuſque eximios attollens, & profitebatur hoc ſe vno tantùm, hanc vitam ſolari, quod poſſet quotidie ſacro epulo recreari. Eſt verò non prætereundum, quod auram frigidam non ferens, nihil ab ea celebrans lædebatur etiam ipſa Natalis nocte ſacris ter operans, cum multis aliàs pileolis caput fouere cogeretur; quàm ipſe apertam ſui curam, tutelæ Angeli tribuebat ex Sacramenti reuerentiâ auram ab ſe noxiam defendentis. Cum omiſſo per ſenium ſacro ad communionem ſe ſiſteret, prodigio par cunctis apparebat, curuum alioqui annorumque pondere depreſſum, ſtare tunc adeò erecto corpore, vt videretur Chriſtus quem ſumebat iuuentutem eius renouare; quod & ſolennibus per annum ſupplicationibus vſu veniebat, dum vmbellam ſuſtineret ſupra diuiniſſimum ferculum; & cum Sanctæ Irenes reliquiæ in Templum noſtrum illatæ ſunt; vbi ferendæ pariter vmbellæ tàm rectus & vegetus ſubiit, vt ſit Neapolim pro miraculo nuntiatum decantatumque ab vno è Noſtris ſenibus

 epigrammate

epigrammate ad eundem misso, cuius ipse probans sententiam sic ad eum rescripsit.

Vmbellam me ferre senem super ossa Beatæ
Irenes, mirum ne sit amice senex;
Brachia sustentat, sustentat crura; pedesque,
Ex alto virtus inuiolata regit.
Hoc opus Irenes, Irene fortia reddit
Membra potens; pudeat vera tacere senem.

Quanto verò affectu in cultum Matris Deiparæ raperetur, etsi ex iis constat quæ paulò superius dicta sunt, addam quæ præterea id ostendunt; nam præter continuam ad amandam illam, colendasque ipsius glorias, apud omnes adhortationem, maximè verò apud primarios, quorum sodalitium dirigebat; vnumquemque plurimum excitabat, vt eius aliquam priuatim imaginem in cubiculo coleret; mulieres vt cum Ecclesia illam quotidie salutarent, Carmen *Salue Regina* ei offerendo; puellas ne diem abire sinerent, quin ei corpus & animam pia commendatione committerent; vbi primum à Virgine miraculum quodpiam accepisset, mox illum verbis scriptisque vulgabat, ne inde illi debita gloria differretur, vel celebraretur languidius; Quicquid supererat temporis ab nostris vacui, totum Virginis Coronæ dedicabat, annisque vltimæ senectutis consueuerat duodecies interdiu, & eo sæpius illam reuoluere; alterum tantum noctu, præter eiusdem litanias aliasque ad eam oratiunculas, quas crebrò diebus singulis iterabat, & quarum æstimationem suis ad quendam literis innuit, Senectuti meæ orationem Dominicam, & salutationem Angeli, saltem quotidie

quotidie donare ne graueris, eminent enim precationibus cæteris, habentque ſuum ex ſeſe pretium, vt multi doctorum arbitrantur, præter illud quod ex operante accipiunt, ex precantis ſcilicet pietate, laudetur IESVS & MARIA. Libet hîc horum nominum mentione, interſerere obiter, fuiſſe in illius ore ac ſtylo creberrima & laudatiſſima; hoc illi fuit ſcribendi principium, hæc ſalutatio; his initiari linguas infantium ante omnia volebat, hac formulâ IESVS & MARIA ſint mecum in via; quam aliquid egregiè pium doceri volentibus (quod poſſent commodè frequentare) velut præcipuam aſſignabat. Signandis cruce aut aqua luſtrali, ſeu ægrotis, ſeu infantibus, aut rebus quibuſlibet, eadem nomina adhibebat, ornabátque dulciſſimis, & ſanctiſſimis titulis, tàm aſſidua quidem nomenclatione, vt ea vulgò inſculpta cordi gerere crederetur, faſſuſque ipſe ſit ad quemdam ſcribens, ſibi eſſe, in ore prope continua, multò magis in mente, ſed IESVM & Mariam non vocibus, ſed moribus delectari, quod in ſui pudorem dictum cupit; poſt acceſſum in Societatem cantum Italicè Virgini lucubratum ita clauſit.

Fa ch'al ciel' ſempre aſpiri, & l'alma mia
Non dica mai, ſe non GIESV, MARIA.

In vna eius epiſtola legitur: IESVS mihi Pater, Maria mater; ille Pater miſericordiæ; Miſericordiæ hæc Mater: Igitur cum Sancto Bernardo, Pater miſericordiæ, eſt quoque Pater miſerorum, idémque dixero de Maria. Sed abſoluamus de religioſâ Mariæ veneratione: habetur ex eius liteteris Virginem ex Angelica ſalutatione multum

honor

honoris percipere, & Beatarum Ordines mentium his illam verbis decorare. *Aue Maria gratia plena Dominus tecum*, quod ex Athanasij sermone de Deipara is refert. Quendam verò scribendo sic rogat. Dic, oro, amantissimo Patri Nostro Generali, vt me apud Sanctissimam Virginem Salutatione Angelicâ dignetur, nihil enim me Sotus, & Nauarrus mouent, qui leuem hanc putant materiam, leuem scilicet, cuius in cœlo pars, in terris pars altera, imo tota in cœlo contexta est, cum tota authorem Deum habuerit; non credam leui me beneficio affectum, si de Patris nostri, cuius memoria in benedictione est, pectore, *Aue maria* impetraro. Denique inter meditationes ab eo scriptas, hæc reperiuntur latinè consignata. *Agnoui hanc Salutationem Angelicam magni faciendam. Primò quia à Sanctissima Trinitate sit ordinata, nec enim solent nuntij qualis fuit Angelus Gabriel referre, nisi quæ à Dominis suis accepta habent: Si enim admiramur orationes Ciceronis, quantò magis Dei.* Secundò, quia ab Anglo recitata, eóque supremo; *Quales enim, quantæque creaturæ sunt Angeli in conspectu Dei? Tertiò, quia ad Beatissimam Virginem relata est; Magnos enim* magna decent.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

De cultu singulari Beatorum Angelorum Beatæ Irenes, aliorumque sanctorum.

QVàm familiarem Custodis Angeli sibi præsentiam fecisset, externis quoque patebat indiciis; nam ingressurus aliquò, ac præsertim Templum, si nemo aderat, subsistebat tantillum interior dexteram præcessuro Angelo deferens; Alij quoque de cœlo Genij manifestè auditi sunt cum eo in cubiculo colloqui, vnusque ex Professoribus cum ex prætenta cubiculi porticu, voces altè sermocinantium excepisset, nec vsquam intra cubicula cætera curiosiùs inuestigans quemquam mortalium reperisset, admouit aurem foribus Bernardini, sentiensque cum eo colloquentes, ausus est intrò pedem ferre vbi præter senem inueniens neminem, admirabundus retrò cessit, credideritque voces superarum mentium fuisse Bernardini consuetudine gaudentium.

Ferenti magnũ ceræ factæ pondus in superiora adiutori fortuito occurrit, vrsitque magnopere tantisper deponeret, ne opprimeretur tantâ mole; cui se iussu Ministri hanc sustulisse cum diceret, secutus est senex ad designatũ locum ibique tàm facilè, ac si esset festuca, illius detractũ humeris, quietè humi deposuit, quod sanè is frater haudquaquã ratus est potuisse, nisi ope Angeli Custodis

Procuratorem

Procuratorem quendam Bariensem negotiorum causâ Lupios aduentantem, duo quidam ignoti semper in hospitij aditu, colligebant; quà continendâ ephippij scandula, qua cætero humanitatis genere, monebantque se à Bernardino missos, qui eũ in Collegio expectaret, nec vnquã Procurator fingere animo potuit, quinam essent, sed se Angelos credere, iuridicè postmodum affirmauit.

Anno huius sæculi nonó, Februario mense, de scalis præceps lapideis caput magno impetu allisit; nihil tamen grauius passus est; cum actum de illo putaretur; scripsitque mox ad amicum Patrem, se Angelorum præsidio casu illo prosperè defunctum, quod idem socio post periculósum paritérque innoxium è sedili lapsum indicauit, nempe seà præside Angelo seruatum.

Rogatus ab vno ex Patribus versus nescio quos vti componeret respondit, hoc verò sibi non esse integrum spondere, quod versus non scriberet absque Angelo tutelari eorum sibi initia præeunte, &c. quæ ipse absolueret; & suo quodam in schedio reliquit, se versus quatuor eius instinctu condidisse.

De Obseruantia B. Martyris Irenes, nihil attexendum videretur, fusè pridem antea enarratis, nisi eam quæ restant manifestarent expressius; præterquam enim quod nihil non agebat, ad propagandos illius honores, & augendos, gossipij vsum quod toties diximus, ita cœpit.

Comes Victorius Priullensis cum Lucretiâ coniuge; ille strophiolum, hæc precatoriam coronam S. Irenes admota loculo animaduerterant odorem ex eo suauem duxisse; moxque dextræ

træ maxillæ magnis doloribus ægrotæ alter ſtrophiolum ; Coronam altera faucibus applicarat, diſtillatione moleſtâ turgidis, & compos ſanitatis vterque euaſerat. Hæc vt didicit Bernardinus gratiis Deo actis, voluit & ipſe de frágrantia illa experiri ; Quare goſſipium ſacris pignoribus inducens, animaduertit quoque inde ab ſe odoratū reduci; ex eo tempore ad ægrotos paſſim & parturientes, reliquiarum vice, totis Lupiis miſſitare; tum creſcente in dies ſucceſſibus fama, quaquauerſum alias in vrbes, & prouincias ſpargere, prædicare, polliceri accipientibus quod per illud quærebant ; denique hoc vti pro valde præſenti contra morbos omnes alexipharmaco, cæteriſque vt ipſi vterentur, & experirentur inculcare. Dabat autem ex eo pauxillum ſingulis cartula inuolutum, intus IESV & Mariæ, ſacris nominibus, foris S. Irenes Martyris inſcripta, filóque adſtricta purpureo; ſed volebat magna cum veneratione in opus conferri ; vnde illa eius ad quandam hortatio ; Illud in morbos ſcriniolo cum reuerentia vel in raſo ſerico aſſeruato, vel quód magis probo, velut cereum agnum, è collo ſuſpendito ; depromptura verò manus abluito, flexiſque genibus *Pater*, & *Aue* recitato, ad honorandam Beatæ Martyris memoriam, eiuſque opem vrgenti malo implorandam, quam ſpero minimè denegatam iri. Alia verò epiſtola ſic ait. Cum primum ad ægrotos ſacrum goſſipium infertur, cum iis qui aderunt, piè *Pater* & *Aue*, de genibus dicent, in iis, ſi fuerit Sacerdos, acceptam qua latet chartulam luſtrali aqua ſparget, admouebitque affectæ parti, vel faſciis illam tegentibus, ſignum crucis
deſcribens

deſcribens, *In nomine Patris, & filij & Spiritus ſancti*; poſt, orationem addet Virginis Martyris. *Indulgentiam nobis quæſumus Domine B. Irene Virgo & Martyr imploret*, &c. Demum aquâ ſanctâ mali locum luſtrabit, & hæc quidem nobis in vſu eſt formula, præter quam poteſt quælibet alia piè vſurpari, ſed hæc viſa eſt religioſior. Hactenus Patris epiſtola, cui nihil antiquius, nihil erat iucundius, quàm Irenes geſta & gloriam longè, latéque diſſipari: Effecit enim vt vita illius ſcriberetur, cantaretúrque Latina & Italica lyra; ſuaſit Poëtæ Italo tunc florenti, vt doctum pollicem in eius laudes vltrò expediret; magnum illius imaginum numerum typo & coloribus mādauit tulitque ac miſit ad varios, miris ſæpiſſimè; ac deſideratis euentibus, quorum nonnullos alibi prætermiſſos malet, vt puto, quiuis hic legere, quàm ſibi perire.

Miſerum quemdam bonorum iacturam in amentiam egerat, palabundus & cadaueri ſimilis per campos dum errat, vidit pulcherrima & nobiliſſima ſpecie Virginem, quæ ſe Martyrem Irenem profeſſa, iuſſit Lupios ſtatim proficiſci; & Bernardinum in Collegio quærere; expiare apud illum peccata, ac de manu illius goſſipium capite excipere, quod ipſa ſuorum oſſium attactu conſecraſſet; venit dierum nouem itinere, peractiſque quæ iuſſus fuerat, mox ſomnum recepit toto iam ſeptennio amiſſum, dormiuitque continentes horas quatuor ac viginti; tum etiam cibum, ac paucis diebus valetudinem, domúmque ſanus repetiit.

Lupios venit è proximo mulier medicos conſultura,

ſultura, quod brachium dextrum tam dira formicula deuoraret, vt mortuas carnes identidem inde abſcinderet chirurgus, medicis malum inſanabile pronuntiantibus; eam Bernardinus confeſſione ſacra & communione procuratam, manum Sanctæ Irenes vt inuocaret admonuit, ac de illius goſſipio adhiberet; fecit imperata mulier, viditque nocte quæ ſubſecuta eſt in ſomnis, formoſiſſimam Virginem, quæ certam reddebat reparatæ ab ſe ſanitatis, & verò expergefacta, ſe probè valentem comperit, grandi medicorum gratulatione. Nicolao Perállo pleuritis vitam adimebat, eratque octauus iam dies, cum Bernardinum ad confeſſionem, vt conſueuerat vocauit; incidit eundo Bernardinus in funus fœminæ quæ morbo eodem ſublata dicebatur, motuſque ægroti periculo, collegit ſeſe, illumque Ireni commendauit, cuius ad eum imagunculam deferebat, tum ad ſocium & ad viæ ducem, macti animo, inquit, Nicolaum Beata Irene confeſtim reſtituet: Quo ipſo tempore (vt deprehenſum eſt) mitior factus eſt ægrotanti dolor, nec multis poſt horis planè conſanuit.

Bernardini ad eamdem preces rogabat Doctor Horatius Colluccius pro cognatâ triduùm in partu æſtuante; decurſis Pater ante Aram Beatæ, Litaniis; Age, inquit, gratias Ireni, cognata incolumis, fœtum incolumem effudit: Quod doctor illicò domum redux, vt prædictum fuerat, cognouit.

Sed fuit etiam inſignis Bernardinus in obſeruando Sancto Nicolao, ac ſcaturiente illius è genu ſacrato liquore; (cui mannæ nomen mira-

bilitas sortita est) multorum morbis fecit medicinam : Sic Hieronymum Melendinum è Societate adiutorem, eo tumori faucium in crucem illito, repente sanauit; sic Marcum Aurelium Achaisensem, cum genibus captus decubuisset octo menses, similiter enim sub vesperum eo vnctus postridie in Collegium, sacrum auditurus se contulit; Sic Antonium Beatillum pariter inunctum, sed Nicandri Martyris liquore ; distillatione exoluit maxillas penitùs vinciente. Sic Ioannem Mariam Biezzium; hic Lupiis valde matutinus post sacrum, à Bernardino confessario suo petierat, vt sibi fœlix aucupium precaretur, illudque, tunc dissuadenti obsequium maluit, quam cōdictā fidē comitibus fallere. Egressus itaque igniariā scloppi rotam sine ictu in auē laxat, inspecturusque vitium instrumenti os cannæ ferreæ oculis obuertit, cum incenso interea puluere explosam glandem faucibus excipit, collapsus ex vulnere in vrbem iumento reportatur : accitur Bernardinus, venit liquorem cuiusdam ex Beatis, cuius excidit nomen, vitrea in ampulla ferens, vulnus vngit, ægroti spem erigit. Quid plura ægrotus sequenti die sanus ad opificium solitum exiuit.

Nardi Ioannella Sambiasia eodem vnguine Beati Nicolai,& sacri Agni cerâ à Patre missis statim conualuit. Isabella autem Venturia Apostoli Andreæ liquore: hæc fatigatis incassū medicis applicito per varios è Societate, aliosque Beati Andreæ liquore præter dolores perpetuos, alterum in latus lapsabunda semper incedebat; quin contracto lateris eius crure sola incedere nequibat, quod

quod primo in partu obstetrix neruum è corpore cum fœtu diuulsisset; mensem decimum quintum iis in miseriis agenti subiit, num posset à Bernardino extorquere de illinendo sibi Beati Andreæ oleo, id tamen petere audebat nemo (licèt quot diebus Sabbati adesset confitentem ægram auditurus) quod ab tangendo fœminæ corpore sciretur abhorrere; verùm illa coram calamitatem suam lamentante, ac inter cætera dicente, nunquam se igitur Collegij Templum aspecturam; subridens Pater, imò, inquit, filia aspicies, & confide sis tantùm, priusquam mensis abierit, tuis pedibus in illud venies; En tibi de manna Beati Andreæ, quod ideò attuli, spera illum post tot miracula, & suscitatos etiam mortuos haudquaquam opem negaturum, quibus dictis senex plumâ sacro vnguine intinctâ morbi locum cruce consignauit, sed hoc etiam frustrà. Quare Deum, inquit, precemur, vt petitæ gratiæ compotes faciat; sic, recitatis litaniis, hæsit ipse orans ante Arám sacelli domestici, mulierque interea somno pressa cum semihorâ indormisset, excitata in pedes constitit, exclamauitque, Pater tuo beneficio valeo, ad quæ proripuit inde se Bernardinus, confluxere reliqui ad inopinum spectaculum iam deambulantis, iam de scalis per se se fulciente nemine descendentis, prouolutique in genua, Deo, eiusque Apostolo gratias egere, Bernardini precum efficaciam mirati.

CAPVT XL.

De Cultu Beati Caroli & quorumdam è Societate IESV Beatorum.

QVam opinionem Sanctitatis de Sancto Carolo Patauij olim formauerat tenuit deinceps auxitque vehementer, ita vt eius effigiem priuatim coleret nondum inter Sanctos, aut Beatos adſcripti quam illi effigiem morienti cuiuſdam pietas abſtulit. Porrò dum anno ſæculi octauo de illo ſuperis accenſendo Romæ ardenter agitatur, Bernardinus dono eius imagunculam accepit, de qua ſic ad quemdam loquitur. Accepi miſſam Beati Caroli viuam effigiem in argentea bracteâ, qua mirum quantum gauiſus ſum, quod is Sanctus Beato Ambroſio haberi ſuppar videatur poſſe, vt eius lectio geſtorum; virtutumque ingentium teſtatur; Volo hanc de collo ſuſpenſam, velut Agni ſacri plagunculam geſtare, haud quidem in exemplar, quod exprimam. Quid enim Gigantem pumilus conetur? Sed in verecundiæ & pudorem mei, vtque illius adiutus ſuffragio teporem meum vtilius erubeſcam, qui religioſæ ſanctitati tot nominibus obſtrictus, nondum vllum eorum diluerim: Sparſo autem de Sancti obitu nuntio, hæc breuiario adſcripſit.

Sabbato die 3. Nouembris 1584. *Mediolani à terra migrauit in cælum Illuſtriſſimus Carolus Borromæus*

Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, qui fuit alter Sanctus Ambrosius. Dolet tota Ecclesia tantam iacturam, quamuis det laudem Deo, cui est cura de nobis.

Cum verò Lupiis à supplicabundis circumuecta illius imago præcipuis induceretur Templis; magno apparatu nostro quoque Templo excepta est, & Bernardinus octogenario tunc maior ducente socio illuc venit, ac de geniculis veneratus cum fletu sæpius sacratam tabulam, hortatus est populum ad singularem sancti obseruationem, quòd is constanter Deo, egregiè, perfectéque seruisset.

Iam illos de Societate, quorum excelluerat virtus & sanctitas, quanto prosequeretur studio, quis satis exponat? De iis quidem sermones iucundissimè miscebat, eorum narrabat, attollebatque acta, venerabatur vultus, preces expetebat. Transitus dies voluntariis palam colebat pœnis; nomina illorum de Societate qui pro Christo vitam posuerant, in litanias scripta, priuatim quotidie vocabat. B. Stanislaum absque Angeli adiuncto nominauit nunquam; ex reliquiis B. Aloysij frustulum quotidie geniculatione colebat, ac precatione, comparabatque illius vitam cum fragrantissimo suffitu, Aræ summi Dei imposito, quòd virtutum odorem solidarum, perfectarumque adspirasset.

B. verò Xauerium in cælo propè Paulum Apostolum locabat, eiusque effigiem cum Lupiis primùm comparuit palàm de genibus adorans, exindè in miserabilium iuuamen secundo euentu adhibuit. In iis fuit Dianira Zocca, cui in partu

moribundæ illam misit asserens ad primum eius tactum secundo partu, quod statim contigit liberandam; Quare Infanti Ioanni Francisco nomen est inditum. Iacobo Giauoleo puero ex malefico fascino morienti ipsemet admouit prædicens, quod etiam factum est, è vestigio persanandum.

At S. Ignatium Societatis IESV Fundatorem inter Apostolos in cœlo statuebat, Petróque proximum eorum principi, & conuersionis eius veluti paranympho: multus in legenda ipsius vita erat; multus in suggerendâ cæteris ad legendum; vespertinarum precum, laudumque penso, eius memoriam seorsum subdebat, cum adhuc publicè non liceret; spargebat illius imagines, vt agnosceretur, & obseruaretur ab omnibus de quarum vnâ sic germanum hortatur. Mitto ad te veram effigiem B.P.N. Ignatij, quam singulari dono amantissimi Patris Generalis Præpositi accepi; hanc te tibi seruare peculiarem volo nemini donandam; hanc inaurato septo marginare ac purpureo serico velatam in monumentum sanguinis à Christo fusi, ad caput lectuli habere, efficereque vt sciant domestici, non paruam à Deo gratiam inituros, si *Pater* & *Aue* Beato quotidie offerant. Eiusdem verò literis respondens. Scribebas, ait, te B. Patri Ignatio curas tuas quoties orabas committere: facis omnino vt maximè decuit, ipseque idem præsto, ac mihi videor, quicquid peto, illo deprecatore, exorare. Cùm autem ex fratre filius Ignatij nomen nato sibi filio indidisset nuntianti fratri hæc reddidit. Dico, vti res est, mox in genua recidi ad pre catorium cubitale, quod nostris

in

in cubiculis singuli habemus, & sacras Matris Sanctissimæ Litanias pro tanti beneficij gratia exegi. Domi siquidem monumentum tenere Societatis IESV fundatoris non est casui assignandum sed gratiæ, ex qua certò spero accessionem tibi, Patrique ac Matri, & toti familiæ, interioris præsidij non vulgarem; curam vestri omnino B. Ignatius potissimam geret.

Patientiam Solazziam egentem fœminam vitæ ancipitem inuisens B. Ignatij lipsanis conciliauit illi somnum, in quo vidit sanctum manu se leuiter attingentem, sed interpellata adstantium strepitu; Parcat vobis Deus, inquit, cum somno enim S. Ignatius mihi à vobis ereptus est, qui me suauissime affabatur, statimque recuperauit sanitatem.

Barlettæ matronam nobilem insolens vexabat molestia vbicunque esset; etiam in lecto aderant, vndenam haud scitur, sorices, nec interquiescere sinebant; Egit cum Bernardino per literas Sacerdos è Societate, cui suum laborem matrona detexerat; misit ad eam Bernardinus Icunculam Sancti Ignatij quam collo illigaret, recitatâ semel oratione Dominicâ, & Angeli salutatione, post quæ sorex nusquam vllus comparuit. Camillam Ammiratam suffusioni oculorum malè obnoxiam, icunculâ simili super oculos in crucem ductâ, penitus sanauit aiens, non ego, sed B. Ignatius te signat: Simili quoque Irenem Guarinam pessimè ægrotantem, & Monialem ad B. Ioannis, Ioannam Petrazzolam cui denunciauit se iconem haudquaquam diutius quàm in triduum, commo-

dare, ſed quæ tertio die animam actura credebatur, ſalutare pignus iam ſana reſtituit; Coronam libenter & ſæpè feliciter ad ægrotos mittebat, quod ea adiunctam Iconem Sancti Ignatij effigie haberet. Iacebat ex morbo vehementi Lælius Antollietus quem futurum de Societate ab incunabulis vaticinatus fuerat Dei ſeruus; memor promiſſi mater, adeſt lugens, negatque futurum è Societate, quod de vita illius nihil ſperaretur; At ille, hauquaquam filia, valebit, & Societati nomen dabit, nunc mittam ad illum de Sancti Ignatij lipſanis cum eius imagine, cum quibus illi ſanitas redeat; nouum dictu, vix ea attigerat, cum repentè febris extincta eſt, ipſe intra annum Societati ſe adiunxit; cumque ſanguinis plurimum in tyrocinio ſputaſſet, dubitareturque an eſſet oneri ſuffecturus, obtinuit ſchediũ Bernardini manu exaratũ, quẽ animæ patrem à puero colebat, idque ſibi piè apprimendo ita eſt confirmatus, vt nunquam poſtea ſanguinem ſpuerit. Extant verò ſenis grauiſſimi, & humaniſſimi beneficia complura in eamdem Domum Antollietorum, vt quæ illi ſemper addictiſſima fuiſſet; Ex ea Robertus tumore gutturis ſubinde recurrente, nec cibum tranſmittere, nec interdum ſpiritum poterat, fruſtráque ſanguinis miſſio, fruſtra cauterium, & præſidia reliqua per biennium fuerant, cum collectum filum Bernardini ſanguine aſperſum (quod chirurgus ex lapſu ante enarrato vulneratum curans proiecerat) id collo applicuit, exinde, ſiccatis ſenſim humoribus graui eo incómodo ſe breui exſoluit; Franciſcum bimulum vrenti febri agitatum Virgilia Antollieta matertera

ţera puncto temporis ſanauit, quo Bernardini indusium illi impoſuit. Iſabellam ex eadem gente B. Dominici Monialem anginâ oppreſſam, vt nec aquæ ſtillam toto quatriduo glutire potuiſſet, ex confeſſione abſoluens Bernardinus, quod vellent medici die inſequenti ferro abſceſſum aperire, caſu, an ſecùs in capite attigit, quo tactu ipſi adeo melius factum eſt, vt cibum poſtularet acciperetque iubente Patre par ſorbilium ouorum infeſtam planè anginæ eſcam, ſed pluris fuit iubentis auctoritas, cuius bona purgatam apprecatione ægra ſumpſit, ac poſt illam pirum tam facile vt ſi optimè valeret: Itaque medici cũ rediiſſent omiſſo ferro, deſtinatiſque remediis, prædicauere ſanctimoniam viri Dei, quæ depulſa ſynanche, illorum artes præuertiſſet. Dictæ quoque Virgiliæ à medicis addictæ ſemper pollicitus eſt fore, vt longo poſt tempore ſanaretur, quod exacto anno denique obtinuit: Diſtorquebant illam viſcerum cruciatus, ſed quibus diebus Pater ſigno crucis eam muniuiſſet, inducias dolor cum ea obſeruabat. Huius autem germano Deiphebo tumor fœdus, vitio iecoris latus inter ac renes enatus, & à chirurgo ſectus fœcem miſit trito hepati ſimilem, nec præterea quidquam trimeſtri ſpatio eiecit, quod medicis lethale videbatur; iuit Bernardinus, vt confitenti aurem daret, Beati Hieronymi feſto die, voluitque poſt confeſſionem plagam inſpicere, & crucem digito ſuper illam ſæpius formauit, ac demùm familiaribus edixit, nihil eſſe quod tunc angerentur, ſaluum ſi quidem Deiphebum fore, die proximâ illucente vulnus purulento reſtagnans humore, medicus

gratulatur, laudatque potentiorem sua manum, quæ admoto crucis antidoto ægrotum mirabiliter curasset.

CAPVT XLI.

Multos sacratâ Agni cerâ, lustrali aquâ, & imaginibus, ac reliquiis Sanctorum valetudini restituit.

AGnos, aquam lustralem, sacras imagines, & reliquias, siue vt eorum æstimationem in hominum mentibus augeret, siue vt sua tegeret admiranda, missitabat multis morborum leuamen desiderantibus. Dedit Agnum cereum opertum serico, Iulio Cæsari Tacconio Tarentino, qui agnus postea Ioannem Cataldum, & Angelum Tacconium grauiter ægrotantes, vocato serui Dei nomine sanauit. Carpos alium ad vxorem filij ex fratre destinauit, item serico exornatum, monens vt diligenter conseruaret in morbos paruorum liberorum, & certè diù post eorum vni Hieronymo Realino alligatus valetudinem reddidit; Alium ad Dionoram Guidaram misit Sancti Ioannis Lupiis monialem, iubens brachio adnecti cui medicinam quæsierat; sic è vestigio se liberam vidit. Vrsulæ Fornariæ ex effusiore profluuio sanguinis abortum timenti ferendum quoque Agnum dedit, cum imaginibus Beatissimæ Virginis, & Sancti Caroli, ad quorum amplexum momento

momento sanguis stetit. Iam de aqua lustrali Hieronymum de Alexandris Lupiis Rectorem improuisus inuasit interiorum, & stomachi dolor; volutabatur humi & in lecto, videbaturque quantocyus defecturus; hunc Pater Realinus leui aquæ sanctæ adspergine, cruciatu & periculo eripuit. Gregorium Mastrillium ibidem Rectorem febris vehementissima lecto affixerat, venit ad illum officij causâ pius senex, dicensque munere gubernandi non posse ægrum rectè fungi, his illum verbis lustrali aqua in crucem adspersit. Per istam sanctam aquæ benedictæ adspersionem det tibi Dominus salutem mentis & corporis: quibus & febris cessit, & cibo refocillatus est, & paratam omisit medicam potionem, cumque posterâ die ex inopinato genuum dolore, animo linqueretur, eodem remedio Dei seruus, imperiosè professus est, se quod statim perfecit, profligaturum illos cruciatus, sic enim Cruci, & aquæ piaculæ conciliabat religionis & potentiæ fidem. Emanuel Vega Lusitanus equum inscensurus Neapolim, salutabatur à Lupiensibus quibus philosophiam diù prælegerat, sed vultu præferens mœrorem insolitum, interrogatus à Bernardino coram multis, quid sibi hoc vellet, respondit, capite tam crudelē in modum se torqueri, vt neque quid ageret, nec vbi consisteret, satis sciret. Tunc intincto senex in lustrálem vrceolum digito, frontémque illius in crucem illinens, IESVS, Maria, inquit, nihil hoc futurum est, eodemque momento Vega, se ab illo sanatum palam adstantibus vulgauit. Adduxerat generum Castronouo diei vnius itinere quidam senex ab

anno

anno mutum, ſic vt nullo conatu articulare vocem vllam poſſet, cum Bernardinus aquâ ſacra luſtratum reuerti Domum iuſſit, at ipſe Lupiis vix pedem extulerat, cum loquendi vſum in perpetuum reſumpſit.

Ioannes Thomas de Iudicibus vndecim annorum puer diuturnis languens, feſſuſque febribus per auiam ſuam Portiam Venturam impetrauit, vt qua in ſacro Bernardinus digitos abluiſſet pauxillum aquæ ad ſe deferretur, illâque hauſtâ extemplò valuit, cuius vim pharmaci non minorem ſenſit, quamuis minus citam, cùm ex illiſo equi calce confracta tibia abiiceretur à medicis, hoc enim epoto ſpem illis fecit meliorem, breuique ſe integrè recepit. Franciſcam Sementiam Baronem Sanceſarienſem multos dies in viuis aluit aqua ſola à Bernardino conſecrata, & Franciſca opinione omnium in horas moritura multos deinde annos vixit. Aureliæ quoque Venturæ Lupiis Sanctimoniali, cum æſtu cordis immodico velut igne ſe vri gemeret, alia incaſſum remedia, idem remedium ſaluti fuit. Camilla Puccia febri, & inſomniâ laborans Bernardini preces feſto Palmarum die depopoſcit, annuit Pater flagitanti, ferrique pomum ad eam voluit cui fuerat proſpera precatus, illa, metuentibus domeſticis ne noceret, indè tamen ſtudio pietatis tantillum edit, ſtatimque ab ſe morbum penitus fugauit. Hippolytam Taſſuriam puellam atra bilis continenti fletu, ac ſuſpiriis alebat, miſerantibus familiaribus imaginem tradidit Bernardinus, quâ acceptâ ſomno corripitur, & ſanatur.

Ignatium Garganum è Societate torquebat

Neapoli

Neapoli iſchiadis cataſta intolerabili cruciatu, cum ſibi admota qua diù Bernardinus fuerat vſus imagine, confeſtim ſedauit.

Puero egregiæ indolis intentabant chirurgi ferrum, quod pes aliter curari nequiret; diſſuaſit parentibus carnificinam Pater, miſitque lipſanothecam ad puerum ſub ſerum diei quâ ille medicinâ ſubſequenti nocte ſeruatum ſe comperit. Iulius Clauarius faber lignarius periclitabatur, ex aſmate, nunciauit Pater vt thecam reliquiariam quam mittebat piè acciperet, recitaretque ſemel precationem Dominicam & Angelicam ſalutationem; ſic enim donandum priſtinâ ſanitate quam & iuſſis peractis adeptus eſt. Pauperculæ fœminæ cæcitatem timenti aſſulam ex ligno Domus Lauretanæ cum adhibuiſſet, fugientem viſum reuocauit.

Multas difficili partione in diſcrimen adductas feliciter iuuit miſsâ ad illas Rhegienſis in Ciſalpina Gallia Virginis imagunculâ, cui hæc ineſt Epigraphe, *Quem genuit adorauit.*

Annam Mettöllam in partu moribundam ſibi commendanti Ioanni Dominico Ganniæ deinde Epiſcopo, ex iis imagunculis vnam dedit, aſſerens cum illâ, poſt *Pater* & *Aue* recitatum commodè parituram, quod vti præmiſerat à Deo eſt præſtitum. De hac imagine Rhegienſi fratrem docet, mirum quantum pollere ad fortunandos partus, ſuntque non plus ſex dies, inquit, cum nobilis mulier obliquo, vt obſtetrix affirmat fœtu erat mortis quàm vitæ certior, accurrit coniux ad hanc imaginem iam famâ venerandam, huic recitatis Virginis litaniis illam trado, defert parturienti

parturienti, quæ prolem masculam feliciter enititur; Omitto singula recensere, ne librum pro Epistola faciam, &c. Aliis litteris sic ait. Scito abhinc non plus diebus quindecim in extremis agenti Ioannis Philippi Giaconiæ filiolæ prope adhuc anniculæ paratisque iam funebribus sericis ad componendum corpusculum, adeo extra spem vitæ erat, impositam imaginem Virginis quam habueram Rhegio, vitam, viresque reuocasse, quod familia omnis intercessioni beneficæ Virginis Matris attribuit.

CAPVT XLII.

De dono lacrymarum.

PIum hoc vnguentum, quo vitæ omnis asperitas, & mœrores animi diluuntur, & mens dulci gaudio delibuta non sinit corpus dolores suos persentire, mirè fuit in Bernardini potestate; diurni pensum officij, meditationes, conciones quibus intererat, & cohortationes lacrymarum copia irrorabat; ad aspectum Christi de Cruce pendentis, aut effigiem quamlibet ipsius; in decursu Coronæ Virginis; ad nuntios calamitatis alienæ, recensque patrati sceleris; colloquendo de rebus diuinis; abluendo post cibum manus; sacris operando. Vbi quandoque Eucharisticū toralè adeò lacrymis madefecit vt successurus illi ad Altare fingeret vereri, num tantum humoris esset ex calice excussum, cui placidè Bernardinus, minimè

verò

verò ex calice, sed hoc omisso, aliud si manus adhibeto. Cum in literis ad se scriptis aliquid de suis, suarumque rerum laudibus legebat miraculorum præcipuè, tum verò fletibus inconsolabilis se totum dabat, eratque multis inducendus, vt hunc Societati ad quam pertinebat, non sibi honorem deferri crederet. Perlatâ Neapoli ad eum epistola eius encomiis refertâ infelicitatem suam effusis lacrymis defleuit quòd pro bono, sancto, Taumaturgo scilicet haberetur, hunc enim esse manifestissimum errorem, aduocatoque properè adiutore, cum sibi iussisset assidere: lege, ait, mi frater, & statue num iure me luctu macerem, cum isti me sanctum fabulentur & mirabilium patratorem, est hæc ingens mihi afflictio, ingens eorum deceptio; cui frater, volo, inquit mi Pater orare Deum, ne sinat me diutius viuere; nam si iunior, illiteratus, rudis & nullius frugis pati cogor manuum oscula, spolior precatoriis globulis, rogor preces ad Deum fundere quasi magnâ dignas fiducia, hoc vno solùm quod Societatis vestem circumfero; certò, si fiam æui longioris, peius mihi omnino quàm nunc Reuerentiæ Vestræ futurum est; quod si quo modo accideret, haud puto propterea excipiendum mihi secus ac modò facio; lætando scilicet, gratulandoque Societati hunc honorem, Deóque summas agendo gratias tantam eius externis æstimationem inferenti, vt quotquot sub eius vexillo agimus, totidem sancti habeamur, & admirandorum effectoris, quod si ægriùs ferre mihi conscius sim, scrupulo sanè haud leui duxerim, ne à Deo præfectæ Societatis famæ ac nomini videar esse inimicus;

micus; quibus optimi ſenis ſerenatus mœror ex laudum ſuarum impatientia exortas lacrymas, in lætas conuertit, ex profuſis in Societatem bonis ſingularibus exundantes. Præter cœlitus immiſſum piarum flumen lacrymarum, rapiebatur ſæpius extra ſenſus, animo etiam ſecum corporis molem ſublime tollente. Puella nobilis octauum iam menſem fratres ſuos probroſam grauiditatem celauerat, ne illorũ furori victima fieret, hic eorum alter in lectum decidit, cui tàm aſſiduo infelix cogitur miniſterio fàmulari, vt nec latum vnguem liceret ipſi ſecedere, præſertim cum fratres cæteri vix vnquam pedem cubiculo efferrent; monebant interea de vicino partu viſcerum tormenta, ipſaque inops Bernardino miſerabilium aſylo ſuum periculum nunciauit, qui mox ternas precando (quid enim ſpei aliunde fulſiſſet) exegit horas, ſpectatúſque eſt per oſtij rimas ſplendenti luce circumdatus, àltéque in aëre ſuſpenſus, vt penè vertice lacunar attingeret, poſt hæc ad nuntium reuerſus, ſalua omnia nuntiauit, eſſe quod Deo laudem propterea referret; oborto nimirum dum medicus viſeret ægrotanti ſudore, iuſſus fuerat operiri, & ſomnum ſolitudine captare; omnibus itaque dilapſis, ſubtegulanum ſolarium euaſerat miſera, inde Angelum vidit aduolantem, qui ſuſceptum fœtum ad Franciſcam piam fœminam detulit, eiuſmodi naufragia colligere aſſuetam.

Tobiam Apontium Barij degentem Lupioe traxerat deſiderium agendi cum Patre Bernardino de animi rebus. Ergo in Collegium de meridie ingreſſus, dum in Aula ſedens reuoluit animo

mo quæ cum illo erat communicaturus, videt scintillas, & flammæ radios ex eius cubiculo prosilire, aulamque implere, hic sacro horrore perstrictus, nihilo secius explorat fores, & animaduertit negligentius occlusas viam iis ignibus præbere, vincente metum curiositate ianuam penitus quanquam tremens expandit, sed à Bernardino, quem præcipuè vestigabat, obiecta tabula oculos arcuit. Quare tandem ingressus cernit genibus nitentem, immotum, distentis manibus, oréque in cœlum conuerso clausis, sed lacrymantibus oculis precantem, quatuor verò, vt minimum palmis in medio aëre sublimem, videbaturque scintillis vndique ac flammis ardere, ac sola in hanc vnam vocem perpetuò mouebat labia, IESVS & MARIA, mecum est in via, quo spectaculo Tobias cum diù stupens oculos pauisset, eodem situ orantem reliquit, sed in isto genere de multis pauca. Nunc sit

CAPVT XLIII.

De Verborum ipsius efficacitate.

QVantum verbis posset, qui tantum opere valebat, quantoque robore hominum flecteret voluntates; prodidit in primis quod Lucijs accidit. Virginem benè natam parentes adigebant vt modesto cultu & vernaculo vteretur, quòd eam monasterio destinarent; contra, illa in

mundo muliebri tota erat, quò idoneas quamprimum nuptias captaret; erat illa Domus Templo nostro, & Bernardino maximè addicta, vnde huic mater aliquando: Quid istac, inquit, filiam indicans, faciamus Pater; quæ esse Monialis omnino abnuit, ac præter sæculum nihil spirat, imò, intulit Pater, planéque oppositum fiet.

Dicat per octiduum Beatæ Virgini Antiphonam *Salue*, statímque animum assumet vouendi se Deo Christóque in sponsam consecrandi, quibus puella derepente in alteram mutata nisi de virginitate, ac Cœnobio nihil deinceps cogitauit, quod & tandem alacris iniuit. Occurrebant non raro mancipia intractabilis ingenij, & pertinacia, nec modo à religione amplectenda, sed ab audiendâ etiam auersa, sic ad primas inflecti Bernardini voces, vt sacrum baptisma deposcerent.

Marcellus Coroesius Lupiis vitam ducebat minimè vitalem ita illum scrupuli erodebant, induxerantque in opinionem damnationis iam sibi decretæ; hunc Pater solatus est, placauitque efficaciâ dicendi illius animum, vt multa cum pace, multâ cum salutis fiduciâ deinde ageret.

Vniuersitatem Lupiensem vi iuris suprema & varia vrgebat Comes Palmiregiensis ad exsoluendam pecuniam creditam sat grandem, nec multis, magnísque deprecatoribus mouebatur ad indulgendam Ciuibus moram breuem, qui se tamdiu vana expectatione promissísque ductassent; Cum ergo publica Ciuitatis bona pretio quolibet sub hastam coniiceret, accurrere Primores ad Bernardinum, qui dolens eorum mœrore

rore ſpem iis fecit meliorem; egit cum Comite, ac eum tam facilem Ciuibus effecit, vt iis in poſterum nihil faceſſeret negotij, quantumuis per multos conſequentes annos non valeret ſummam creditam implere. Intererat publicæ de conſcientiæ lectioni, cum doctrinam quandam. Profeſſoris noſtri communem & ſolidam auſus neſcio quis calcibus inſultare, ex quo Bernardinus haud abſimilem labris parari homini lactucam à profeſſore præſagiens; non laudo, mi Pater, inquit, ſi huic reſpondes; tacuit Profeſſor quaſi ſideratus; cumque poſt diſceſſum Bernardini conuitiator rediiſſet; idemque quod prius officium faceret, ſtetit Pater immotus & muto ſimilis, nec verbum maledico, ſyllabámve vllam repoſuit, magno apud conſeſſum modeſtiæ ac patientiæ documento.

Multi grauiſſimis anxij, agitatíve curis & laboribus, leuamenti cauſa Dei ſeruum adibant, & fluctus animi, acerbitatéſque ipſius alloquio mitigabant.

Baro quidam iam morti proximus, de confeſſione ne ſuſtinebat quidem ſuggerentes, ſeu quod vitâ omni fœdè in flagitiis traductâ ſpem omnem ſalutis abiecerat, ſiue quod ſibi in poſterum meliora non poſſet imperare, aut quocumque tandem obſeſſus faſcino, doctos, religioſos, pios obſtinatâ duritie animi, & fefellit, & fregit; acciti autem Bernardini verbis emollitus, & fractus, vitam apud illum confeſſione expiauit, & multa ſalutis conſequendæ relinquens indicia paulò poſt obiit. Lupiis adoleſcens Matrem perimere, fixum animo tenebat, quod probri occaſio ſorori

R 2 extitiſſet

extitiſſet; immane conſilium cum deprehendiſſet vnus ex Collegij fratribus, vi magna atque multiplici ab adoleſcente vix tandem obtinuit, vt id conferret cum Patre Bernardino, cuius vi maiore ſpiritus & dicendi, nefarij ſceleris illi mentem exemit Deus, & ſororis, Domuſque infamiæ occurrit. Simili ex cauſa germanis duobus ratum erat ſororem de medio tollere; accerſitos Pater affatu primo ab eo parricidio prorſus deterruit, ſororique placauit.

Si quem autem iſtiuſmodi hominum cæcus furor contra ſuaſiones Patris obſtinaret, his illum conſueuerat vrgere. Abſiſte fili per Dei amorem; per amorem IESV fili mi, ignoſce; quibus cedere ſi nollet, non ſum, inquiebat, cibum prius ſumpturus, quam conquieueris, atque ignoueris; quibus illum denique expugnabat.

Mutuò acceptos bona fide ducatos centum, quidam negauit creditori, exarſit creditor in perfidioſum adeo impotenter, vt ſtatuerit pro ducatis illius ſanguinem haurire; venit Lupios hac mente; caſuque offendens Bernardinum rem illi totam graphicè deſcripſit: Mulcere hic amentem Pater; hortari ſe Domum fidenter reciperet ac polliceri non diu fore cum ad ipſum pecunia referretur. Credidit homo ſermoni, nec fruſtrà, poſtridie mane, antequam à ſomno ſurrexiſſet, adeſt cum centum ducatis fraudulentus, aiens, viſos ſibi totidem dæmones, noctem verò illam centum annos; ita lucem impatienter expectaſſe, oculos verò claudere nequiuiſſe. Ortis crebrò inter coniuges diſſidiis, interque parentes, & immorigeros filios, cum metu diuortij, homicidij, exhæreda-
tionis,

tionis, offensæ publicæ, voluntarij exilij, atque infamiæ Bernardinus verborum, & sanctimoniæ pondere pacem inter illos ex insperato integrauit.

Baronis Fragagnanensis liberos bonorum diuisio malè inter se commiserat, & peius aliquid timebatur, cum ad Patris conspectum in concordiam stabilem redierunt.

Ad Castrum Caballinum milliaribus tribus Lupiis dissitum quidam à nobili, conuitio pulsatus, statuit ferro iniuriam vlcisci, etsi fortè vindictã esset patibulo luiturus, id vni ex nostris Patribus rem Collegij procuranti cum casu indicasset inuitus ab eo in Bernardini cubiculum est protractus, vbi senex, intellecto eius consilio, in genua procidit, manuque capiti imposita: Parce, inquit, frater carissime, & iis stare decerne quæ nunc tibi sum enuntiaturus. Ad hæc primum vbertim in lacrymas, & singultus solui; Bernardino deinde rationibus validis scelus dissuadente, mitescere, ac frigere, hortatus demùm Bernardinus per Dei amorem aduersario libenter, & ex animo parceret, heus nunc! subiecit, tu bis *Pater* & *Aue* recitato; ego oratoriam coronam pro te sum postea obiturus, & securum de cætero dimisit fore vt ipsi de honore nihil esset propterea decessurum, nempe haud diu post ab inimico adfuerunt, qui conuitij veniam peterent, quin ipsemet vt primum se dedit, salutatione illum anteuertit, ex quo inter vtrumque concors amicitia coaluit.

Lupiis sat notæ Pratolana, & Mettolana familiæ capitalibus odiis ciuitatem secum diù di-

ſtraxerant, nec ferro vtrumque nec ſcloppis parcebatur, nullo Dei, æternique ignis, nullo metu publici Magiſtratus, pertinaces tamen inimicitias, & ſimiliores bello aut latrocinio profeſſo; quam priuatis diſſidiis, Patris Bernardini ſeorſim ad partes adhortatio prorſus edomuit, magnâ Ciuitatis ſibi reſtitutæ lætitiâ, quod tùm apud alias quoque familias, tùm apud Rainorum, & Lubelliorum Lupiis nobiliſſimas pariter diſſidentes lethalibus, numeroſiſque inimicitiis perfecit.

Hieronymus Baſanus duas etiam ibidem præcipuas familias inter ſe componere fruſtra magno molimine conatus, Bernardini allocutioni & precibus infectũ negotiũ credidit. Qui mox illo apud Deum tractato tranquillus Præſidi ſignificat, ne eſſe ſollicitus pergeret, deſituras propediẽ inimicitias, parteſque cũ primùm ſibi obuiæ fierent mutua ſalutatione concordiã priſtinam firmaturas. Hæſit ſuſpenſo iudicio Præſes, gnarus tunc odia vt vnquam maximè feruere, at ſecurus dictorum, & ſapientiæ Bernardini; quam conſecutus eſt prædictus exitus, contra omnium expectationem, etiam partium, quæ nihil minùs quàm de concordia cogitantes, vt ſibi occurrere, mutatis repentè cælitus animis inuicem amicè conſalutauere tantâ ſignificatione charitatis, vt pacem inter ſe conſtantem integrarent.

Hydruntinum quemdam peccandi velut neceſſitas ex aſſuetudine contracta eò adegerat, vt ſe negaret poſſe, niſi turpiter viuere, arcanis tamen Genij boni conſiliis Lupios adductus, confeſſuſque Patri Bernardino, ſic eius verbis reſipuit

puit, vt se illius præsidio Tartari faucibus ereptum prædicaret.

Viduam furentem cum nulla ratio, nulla gratia, vel metus à vindictæ studio deterreret, Bernardinus flexit non vt parceret modò interfectoribus filij, sed vt preces ad Deum pro iis assiduè mitteret, induceretque superstitem filium ad iniuriam pariter condonandam.

Fuit quidam tàm proiecti pudoris, & salutis, vt apertis licet in exitium oculis præceps iret, nō posset ab se extorquere, de abiiciendis flagitiis tandem statueret, adeò se illi obiiciebant multa quæ vinci posse desperabat; iuit nihilominus in Collegium ad Bernardinum confessionis causâ, suasque illi remoras notauit; Cui Pater, nihil mirum videri, post inueteratum per tot annos peccandi vsum, sed precatione omnia superari; commendaturum se illum Deo; ipse interea salutationem Angelicam corâm Virginis Matris effigie quotidie per octiduum diceret: cōplanatas iri eius ope difficultates omnes, aliaque protulit tam potenter, vt post hebdomadam pronū homini visum sit, quod prius ineluctabile censebat, peractâque exhomologesi, longè aliam vitam viuere cœperit.

Venit alius ad Patrem occasione cuiusdam negotij, quod vbi absoluisset, Pater illum fortiter vrgere, publicam offensionem vt tolleret, eoque impetu diuini spiritus hominem perculit, ad omnes antea cæterorum admonitiones saxo surdiorem, vt è vestigio in cubiculum Collegij secedens confessionem parauerit, obieritque statim apud Bernardinum ac eodem die concubinam domo expulerit.

CAPVT XLIV.

De precum ipsius efficacitate in auxilium animarum & potestate aduersus Dæmones.

MEdicum Hydruntinum honestissimum hominem Lupios adduxit vecordia filij, qui Neapolim missus studiorum causâ, inde in rem malam cum meretrice aufugerat; cassis igitur ad reuocandum prodigum vsus conatibus, illi ad extremum Bernardini preces exposcebat; promisit Bernardinus, monuitque post biduum rediret, ac tùm demum, abi lætus in patriam, vbi à filio facti pœnitente, veniamque poscente abhinc paucis diebus videbis literas, eiusque tùm ad bonam mentem, tum ad diligentiam studiorum conuersione gauisurus ac tandem honore quo te, familiámque vniuersam decorabit; quæ suis quæque temporibus vt pollicitus fuerat Bernardinus exitus ostendit.

Vixit haud procul Roma scelestus quidam vàriisque immersus, incoctusque criminibus; is cum nullis ad Christiana officia machinis flecteretur, filius quem habebat in Societate rogauit per literas amicum, vt Bernardini suffragia misero impetraret; suscepit Bernardinus pium officium, orauitque successu expetito, nam ferreum pectus facinorosi hominis diuinæ gratiæ succubuit, doluit, confessus est, Christianè vixit,

xit, Christianéque vitam clausit.

Nobilis adolescens, at Societati perinfensus, supremo in morbo ad confessionem nullis artibus mouebatur, quin & Bernardino in cubiculum inducto, vultum aliò vertebat, incessens conuitiis qui eum ad se adduxissent, Pater molli affatu cum nihil promoueret domum redit, sed monet parentes periculo filij, familiæque dedecore anxios, ne quid dubitarent, artem dæmonis illam esse & precationibus superandam; Nostros ergò hortatur ad orandum; ipse hostiam salutarem in miseri opem oblaturus Templum ingreditur, vbi dum sacris operatur, æger magnis vocibus Domum implet. Benedictus Deus, abscessit cacodæmon, meque iam liberum ad confessionem reliquit; fugatus est precibus Patris Bernardini; vocetur illico; volo quod ante non poteram, apud illum peccata expiare, redit Pater, excipitur ab eodem perhumaniter, audit confitentem, cæterísque curat muniri Sacramentis plenum Dei laude, gratiarumque actione ad eos qui sibi adfuerant, in cœlum dimittit.

Baro item iam iã moriturus ad confessioné nec inflecti nec frãgi poterat, licet in perpetuo scelere viuisset, res ad Bernardinũ à Melitensi Equite defertur, vrgente plurimum ne opé misero ferre abnueret, vocato Pater in eius auxilium Deo, illuc pergit, manus osculo, & lætis oculis à moribundo salutatur, audit confitentem integras tres horas, detineturque ab eo tamdiu, donec ei oculos pressisset. De multis quoque rescitum est pœnitentiæ Sacramentum in vltimâ illa vitæ periodo obsessu Dæmonum exosis, Bernardini præ-

ſentiâ, & precatione liberatis, æternæque ſpei reſtitutis.

Hominem Lupiis clarum, & diuitem, ſed iuratæ in Societatem maleuolentiæ, vrgebat ſuprema vitæ hora, audiebantur ab eo & familiaribus interdum toto palatio terriculamenta, vocesque velut innumerabilium lemurum, quibus moti agnati Dei ſeruum acceſſunt; huius aditu, & aſpectu recreatus æger, optatus veniſti Pater cariſſime; vexabar ipſo quoque in lectulo malorum dæmonum infeſtatione, qui tuo aduentu in eum angulum ſunt compulſi; da, quæſo, per Deum confitenti aurem, licet iam alius id præſtiterit Sacerdos, nec iſto in caſu me deſere; ſic cœpit noxas explicare, & vt quamque extulerat, porrectâ ianuam verſus manu; En Pater vnum ex dæmonibus ſe proripientem, quod ad ſingula peccata cum repetiiſſet, exhauſtâ denique noxis omnibus conſcientiâ lætus aſſeruit, omnes lemures profugiſſe, paulóque poſt quieto fato defunctus eſt.

Lupienſis Collegij duo cubicula nocturnæ inſidebant laruæ, eorum alterum anno ſæculi voluentis ſecundo cum inhabitaſſet Pater quidam rei eius ignarus, noctibus duabus fores ſenſit quaſi tormentis maioribus pulſari, ac totum interius ſus-deque cubiculum verti: Narrantem Bernardino quæ ſibi obtigerant, iuſſit is genua flectere, impreſſoque capiti ſigno crucis, offer, inquit, Deo in poſterum priuſquam decumbas Salutationem Angelicam duplicem; Alteram in honorem B. Virginis; Angeli Cuſtodis alteram, nec tale quicquam de cætero time; paruit, nec ea

in

in cellulâ, nec alibi vſquam, etſi vexationum eiuſmodi ſuſpecta incoluerit, quicquam moleſtiarum ſuſtinuit. Ex Patribus alius infeſto pariter in cubiculo locatus vidit, recluſis ſtrepitu horrendo foribus, hircum nigerrimum flammas ore ac naribus proflantem rapido ſub lectum tranſitu, camino erumpere, hunc cruce pariter ſignatum, talium ſecurum fecit Bernardinus.

Baptiſta Angelletus Squinzanij natus (Caſtro millibus nouem Lupiis diſtante) ruri cum Patre agens, nocte ſumma vocatus, vt bobus obiiceret pabulum, renuens tam dirè ictus eſt, vt iratus plaga, cultrum ſtrinxerit in percutientem, viſuſque ſibi ſit ferrum altè in illum demerſiſſe; At hic dæmon hominem proſternit, barbam ſemiuttit, inuadit denique efficitque à precatione, ab rutæ odore, ab hominum congreſſu ac cibo alienum; mittebat voces inconditas amenti ſimiles, ora diſtorquebat, emaciabatur, efferabatur quotidie, neque exorciſmi, aut ſacrorum acceſſus locorum proderant, & hanc duos annos grauiorem morte vitam trahens, tandem ad Bernardinum vectus, ei in cubiculo ſiſtitur, qui auriculari mox eius auribus inſerto, & ſalutatione Angelica, cuius ipſi præibat verba lentè recitari ab eo iuſſa, in Templum miſit *Pater* & *Aue* coram Auguſtiſſimo Sacramento dicturum, cum ſpe non dubia ſanitatis; addens inſuper, ſi quid eiuſmodi quandoque accideret, meminiſſet ſalutationis eiuſmodi iterandæ, laturam enim ſuppetias Dei Matrem, quæ cum vt ſibi præſcripta fuerant præſtitiſſet, incœpit meliuſculè habere, tùm pedes in via experiri, demùm etiam comedere; Domi verò

rò colorem, vires, & rutæ odorem quem exhorrescebat recipere. Ad hæc biduò post vidit in somnis Bernardinum sacra castula linteatum, monentem vt cum illuxisset, tantillum rutæ esitaret, paruit monito vir simplex, statimque vomitu capilli muliebris tortas captonas vomitu eiecit, ac tantumdem insequenti die cum esum rutæ iterasset; octauo autem die solitum opus repetit; verùm biennio eneruis, & toto doloribus confecto corpore, adeò tenax est dæmonis feritas, ne in primos casus reciderer ad Bernardinum reducitur, qui eodem quo prius remedio vsus, confirmauit, nunquam præterea illi malo fore obnoxium.

Neapoli per annos duodecim sanctimonialem variis ferarum & Mauri simulacris vexabat dæmon, cædendo, terrendo, vrgendo præcipitium, laqueo fauces adstrigendo, nec tam diram ab ea infestationem preces, aut reliquiæ amouebant, consultus super iis Bernardinus, eius animi bono permitti respondit, flagellum interim viri Dei cum à Patre quodam Monialis accepisset, & contra violentos Dæmonis suasus & conatus capræ specie illud extorquentis, fortiter tenuisset, hostem extra cubiculum expulit, præ foribus tamen ludos & ridicula mouentem.

Donatam Corridoram Burgagnensi ex pago millibus quindecim Lupiis semoto, sub huius sæculi exordium ita malignus hostis sibi mancipatat, vt sacris ab rebus, atque hominibus vehementissimè abhorreret; fecit tamen filiarum Dynastæ curiositas quædam vt ad se perductam incassum diù cogerent ad pronuntiandum fidei Symbolum; & earum frater Agnum sacrum, piá-

que

que alia Patris Bernardini munuſcula reluctanti horribilibus modis, imponeret, diceretque ſe velle ad ſanctum ſenem eam deducere; ad quæ primum vociferari mulier tùm paulùm quieſcere, poſt intentis in certum oculis; Eccùm, inquit, eccum, & interrogata quid id eſſet, video, ait, canem nigrum, & Sacerdotem ſenem pileo clericali, ſupparo, & ſtola ornatum, cannæque innixum qui canem expellit; tandem etiam ſupplex cum obtinuiſſet, vt Lupios duceretur, multis coram teſtata deinde eſt, illum ſe probè illic agnouiſſe, vitæque maculas apud illum expiaſſe, qui ab ſe antea dæmonem profligaſſet.

CAPVT XLV.

Quoſdam à variis tentationibus liberat; Quibuſdam animi bona varia impetrat.

ERat Lupiis mulier ex illuſtri proſapia, quæ in cineritio veſtitu, ac propoſito caſtitatis quindecim annos cum egiſſet, eius impatiens, ſtatuit reſilire, abiectóque pœnitentis cultu, & vitæ cœlibis horrore, iuueni nubere, bona tamen veniâ propinquorum, quos diſſenſuros haud malè augurans, matronas virtutis notiſſimæ duas ad eos ſæpius tentat adlegare; recuſantibus indignitatem officij, ac ſeniore tenacitatem propoſiti ſuadente, aut ſaltem vt communicaret eius defe-

rendi cum Bernardino consilium, tunc enim se illius negotium ad propinquos esse relaturam post variam luctam ad Bernardinum tandem venit, acciditque ad genua confessiones audientis, vix genu flexerat, cum suam largo fletu vesaniam lugens pœnitentiæ sacro eam emendauit; narrauitque deinde accedenti sibi ad Patris exedram velut pondus ingens tergo decidisse, dæmonem fortassis viri Dei conspectum non ferentem.

Vidua quædam religiosa, multosque annos tranquillè casta, deinc blandè truci belluini sensus impugnatione validissimè premebatur, diffidénsque post diuturnas pugnas de victoria, Bernardinum adiuit, totúmque illi confitendo aperuit animum; At ille, ne dubites; filia, feret planè Deus suppetias laboranti; voca in auxilium B. Irenem vrbis tutelarem, & in eius Sacello *Pater* & *Aue*, Deo ter offeras, secura Martyrem fore apud Deum tibi propitiam: Paruit vidua, nec quidquam ex eo tempore contra castimoniæ candorem sensit.

Scripsit Panormo Buteræ Princeps pientissima fœmina ad Bernardinum rogans, vt se responso dignaretur, sibi enim absurdæ cum assultarent imagines, consuetum esse illas dissipare lectitandis quas olim ab ipso habuerat litteris, & has magno sibi emolumento esse.

Multi apud eum peccata posituri, vel ipso accessu repentinâ illorum detestatione, ac dolore configebantur tam acriter, vt censuram anteactæ vitæ à lacrymis ordirentur.

Venit, pro more Franciscus Antonius de Geor-

giis

giis ſub ſeram veſperam ad Bernardinum confeſſurus, optabatque maiorem quam experiretur ob admiſſa dolorem. Patri tum fortè horarum penſum exſoluenti ſignificans quamobrem veniſſet, rogatur poſt paulum redire(& hoc ſemel in vita, præterea nunquam Bernardino, fortè diuinitus, excidit; ſolito alioqui confeſſionem petentibus nihil non poſtponere)recedens Franciſcus orauit, vt ſui precando meminiſſet, quò poſſet ritè, perfectéque tam neceſſario frui Sacramento, offenditque ad Collegij fores vnum ex Patribus qui fortuitum ſermonem de contritione, multiſque illius fomitibus & incitamentis, pedetentim iniecit; eaque vi miſcuit vt ſenſu doloris Franciſcus acutiſſimo pũgeretur, totuſque liqueſceret, quod ipſe poſtea Bernardini precibus tribuebat aſſerebátq; ſe nunquam adeò ex animi ſententia confeſſum.

CAPVT XLVI.

Signo Crucis Sanctiſsima multa edit miracula.

FRanciſco Maſſæ Lupiis concionaturo, ſtatim vt aduenit ex labore hyberni itineris, enata parotis tantum cruciatuum ingerebat, vt linteamina dentibus diſcerperet, ac tredecim dies ſomni cibique expers lugeret dumtaxat, animóque deficeret: Ergo interpoſito nomine charitatis à ſene poſtulauit, vt Euangelium pro infirmis ſibi recitaret, auremque affectam cruce ſanctâ ſignaret;

ret; fecit Pater, moxque se inde proripuit, quasi euentus non ignarus; eius enim attactu diruptus subitò abscessus cruciatum vnà penitus effudit.

Lælium Tolomeium ibidem ad populum verni ieiunij tempore dicentem, inuasit dentium ferus dolor cum maxillæ inflatione iunctus, pridie quàm esset de Sancta Magdalena Euangelium tractaturus, cui Sanctæ fuit deuotus; verum P. Bernardinus audiens ab eo vetitum, ne ad concionem in eum diem signum populo daretur, adiit ægrotantem, impressáque maxillæ tumenti, Cruce, Dei hanc esse voluntatem edixit; ne illam Concionem præteriret; quo temporis puncto, cum humore omnis prorsus dolor euanuit; Patrem Antonium Capecum eodem Crucis ductu, dolore lateris absoluit.

Mariam de Stephano Capuccinorum Patrum Tertianam saluis in speciem oculis distillatio excæcarat; accedebat mœror, luctusque perpetuus non tam cæcitatis, quàm iacturæ diuini officij piorumque librorum; huic apud Baronem Burgagnensem Dominam suam ista lamentanti, suasit Baro adiret quantocyus Bernardinum, supplexque ab eo quæreret, Cruce oculos signari; negauit quærenti Bernardinus hoc esse vitium cæcitatis (celandi opinor miraculi gratiâ) sed melancholici humoris, impressoque oculis signo Crucis, ita persanauit, vt quæ lugens, ductáque ad eum venerat, sine duce videns & hilaris domum Baronis repeteret.

Marco Antonio Rosato cum turgerent fauces, & Medici præludium quoddam strumarum id ducerent; aliud non occurrit quàm vt sisteretur

Bernardino

Bernardino, cum illum egestas aliis remediis priuaret, iussit Bernardinus tùm Marcum Antonium, tùm qui perduxerat eius patrem genua flectere ac pronunciare sanctum IESV nomen; dum partem interim ægrotam signo Crucis muniuit, atque illo momento dissipata est omnis inflatio, nec vnquam deinde comparuit.

Hortensius Infantinus Lupiensis Tabellio ex equo lapsus ita dextrum brachium obtriuit, vt aliquamdiu periclitatus sit, recuperatis vtcumque viribus hæsit inutili brachio cruciatus cum spe nihilominùs sanitatis; casu itaque Bernardinum in Collegio conspicatus ex eo obtinuit, vt crucem super brachio duceret, inde in forum progressus, rogatusque instrumentum quoddam instipularetur, excusare ille iners, captumque brachium, tùm memor Crucis illi à Bernardino efformatæ, probaturum se ait ecquid posset, euolutóque fasciis brachio, commodè ab se scribi deprehendit, planéque valuit.

Iosepho Vergæo ex itinere pedestri per æstatem intercepta crura humoribus defluis multum diebus quadraginta calamitatis attulerunt, nam præ egestate remediis carens, carere item labore cogebatur, quo tolerare vitam consueuerat; iuit ad Bernardinũ hinc fulciẽtibus filiabus, ac inde baculo, duasq; ipsas horas in exigẽdo breuissimo spatio insumpsit; dein Patrem rogauit vt super crura efformaret crucem, obsecutus Pater eius pietati; abi, inquit, fili, & in Sacello Beatæ Irenes salutationem Angeli recita, mox enim sanabere. Iuit, recitauit, abiecto baculo, sanus & alacer domum se ad quotidianas operas retulit. Sed

eò eſt pluris quod ſequitur, quò rariores ſunt qui ex amentia per miraculum ſanantur.

Leonardum Sementium Clericum Lupienſem lethali morbo canna Bernardini exemerat, ſed hæſit iuueni mentis emotæ delirium, quod tentatis denique omnibus, perpetuum Medici vaticinabãtur, videbatur ſibi eſſe Vicarius Epiſcopi, poſt paulum Epiſcopus, deinde Cardinalis ac demum Pontifex cuius grandi ſanè cum àuctoritate munia omnia affectabat, vtque probaret nihil eſſe quod ipſe non poſſet matri oculum digito eruit, vt nouum illi oculum cuderet, multaque alia eadem ſtultitiæ poteſtate geſſit, ob quæ tandem à Patre colaphis caſtigatus, Bernardinum adire voluit has iniurias expoſtulaturus; ipſo autem Collegij ingreſſu ianitorem verbis peſſimè excepit, ſed longè deterius multare re ipſa conatus eſt, quod moratus eſſet ad fores diutius, nec vti Pontificem obſeruaſſet: occurrit homini ante cubiculum Bernardinus & cultu communi, eóque purpureo indutum miſeratus, ipſius caput Cruce triplici ſignauit, addens, Abi ſis Leonarde, iam eſſe Pontifex deſiiſti, ad quem eius contactum, repentè conſanuit, erubuítque ſe profano in veſtitu, & conualui, ait, Pater Bernardinus omnem à me amentiam expulit; Neapolim denique profectus, doctoris inſignia illic obtinuit, nec poſtea vnquam vllum imbecilli capipitis ſignum dedit. Marcum Antonium Scripannium idem Pater ſæuô dentium cruciatu; Paulum Paſcalium puerum quadrienni hernia; & Ioſephum Paſcalium huius fratrem apoſtemate cordi exitium minante, eodem illicò abſoluit ſalutari

tari crucis medicina; itemque fœminam Lupiensem à qua vocatus ad confessionem, quod pedum doloribus prohiberetur ab ingressu, efformatâ Cruce tam perfectè illicò sanauit, vt dilata confessione, quam instituerat domi peragere, in Templum Collegij eam obitura se statim conferret; Parem gratiam, parique remedio consecuta est Porcia Hocia, cum se ad Patrem maximo labore tandem in Collegium detulisset. Parem quoque, eamque repentinam Pater Ioannes Baptista de Tufo articulari morbo ita captus, vt ne in lecto quidem nisi ægrè se posset conuertere. Infelix mulier oppressi nocte per somnum infantis cadauer ad Patrem clàm tulit, eum Bernardinus Cruce adhibitâ Matri rediuiuum restituit. Horatium Theophilum densati humoris guttâ gemina excæcarat, cumque triennium iam totum absque duce progredi nequiret, ab amicò ad Patrem est perductus, qui iusso vtroque in genua, precesque procidere cæcum cruce oculis impressa videndi reddidit facultati, obscuræ quidem atque imperfectæ, verùm quæ intra paucos dies, suffusione dissipatâ, integra euasit.

CAPVT XLVII.

Multa in illos confert Deus qui Bernardini preces quæsiuerant.

DAbit Capiti huic initium eò mirabilior euentus quo illustriore in argumento spe-

ctatus est. Dicebat Lupiis ad populum magno plausu Lęlius Tolomeius è Societate, sed eius dotibus alioqui magnis vis illa deerat miserationum, lacrymarumq; concitatrix; quare angebatur animo vehementer veritus ne sexta feriâ sanctioris hebdomadæ, aridam haberet de Christi morte concionem, & quod inde nimis pronum videbat, penè inutilem; quo eius mœrore perspecto Bernardinus super eo Deum consuluit, fusisque ad illum precibus, Lælium erexit magnis spebus fletus vberrimi, tùm ab sese, tùm ab Auditoribus exprimendi, qui fletus ipsi oratori, & facultatis ipsius consciis pro miraculo fuit, adeò effusus & insolens fuit.

Nicolaum Græcum, (qui Societatem deinde ingressus est) ex genu saucio dolores perpessum mortiferos duo ex Nostris Patribus visebant, per hos ipse Bernardini preces enixè petiit, qui, vt à Patribus id audiuit, pro ægroto ad Deum accidit, ægrotum, vt post rescitum est, orante Bernardino, dolor penitus deseruit.

Albericus Espertius Cisalpinus Lupiis ægrotans Dei seruum rogauit, vt precationem Beato Nicolao Tutelari suo solennem offerret; obtulit in Collegio Bernardinus, Domi æger interea è supremo periculo ad sanitatem pristinam rediit.

Horatium Persicum de Societate, ob inusitatam, & subitam colicorum torminum rabiem, noctu flentem audiens senex misericors ad eum è vestigio accurrit, recitatisque coram precatiunculis illicò sanauit. Margarita Marinaccia brachiis & faucibus miserè obstricta, per nuntium petiit, vt suis tot malis ad misericordiam flecteretur,

retur, ſeque Domino commendaret; fusâ prece remiſit vir Dei, mœrore abſiſteret, breui enim morbo liberandam, quod eâ hora fieri cum cœpiſſet non diù poſt integrè eſt perfectum. Huius cognatæ Aureliæ ortum ad papillas apoſtema chirurgi ferrum opperiebatur, ſed explodens remedium ſoror, à Deo mitius per Bernardinum expetiit, promiſit ille pro ægrota preces, nuntiauitque abſceſſu per ſeſe citra vim dirupto perſanandam; ſoror nuntij baiula Domum redux ore quintuplici apoſtema vltrò purgari aduertit.

Zenobia Signorellia Dux Lizzani ſororis à partu defunctæ caſu perterrita, grauiditatem ſuam Bernardini votis maximè commendarat, reſpondit vnus ex Patribus quem adhibuerat nuntium; Primò, à ſene optimo confirmatum fore vt facilem nanciſceretur partum; Deinde ad Octobris vigeſimum nonum decimâ ſexta horâ ſacrum ab eodem ea mente factum; adfuit Tabellarius Lizzani ſequenti die, tutáque reſciuit & facili partione perfunctam Ducem illâ ipsâ horâ quâ celebrarat Pater.

Aureliam Venturam in Sancti Ioannis Monialem, ingens virium languor à choro abſtinebat; rogatus Bernardinus annuit pro illa futurum ſe Deo ſupplicem, futurumque vt ipſa cum reliquis in choro deinceps frequēns eſſet; ſupplicante itaque viro Dei, repetitis confeſtim viribus, chori exedram adiuit, illamque ad vſque ætatem decrepitam frequentauit.

Innocentiæ Verdeſcæ imminente partū reſpondit per illius fratrem ſe Matri Virgini coronam eiusgratia dictur ū. Frater Domū reuerſus ſororē re-

perit in extremis, ex transuerso fœtu brachium emittente, sed elapso quo posset corona percurri tempore, infans matre incolumi erupit. Olympiæ Margiotæ; Vrsulæ Fornariæ; Portiæ Guliotæ multisque aliis idem in simili discrimine, indidem beneficium adfuit, ex precatione, inquam, Bernardini.

Quemdam falsò suspectus vxoris pudor eò impulerat, vt tollendam sibi de medio duceret, huius parricidij præsagia in viri oculis partim notauit insons, partim ex eorum misericordia didicit, quibuscum ille tanquam fidissimis scelus contulerat; dicta illuxerat ad cædem dies, cum Prouinciæ Præsidis autoritaté implorat mulier, à quo dũ iubetur per Cognitores regios in tutum subduci, excurrit ipsa ad Dei famulum, eiusque auxilium efflagitat. Cui Pater, se verò pro illa supplicaturum Deo, cæterùm, nihil opus fuisse de hoc Præsidem conuenire, cognitori si quid forsan moueret agendas gratias, præstare si quidem dissimulando rem totam premi; reuersurum ad vesperum coniugem iam mitem, iam alium, à quo nihil esset metuendum, quæ, iuxta quam præcipiebat senex ad amussim omnia prodierunt.

Leonardum Cucurrium adolescentulum tormento calculi diu excruciatum agnati Bernadino sistunt, procumbit in genua simul cum iuuene, & ad colendam S. Leonardi memoriam, semel *Pater* & *Aue* recitatis, dimittit asserens, quod experientia deinde constitit, nunquam posthac calculo vexandum.

Illustrem fœminam viro absente grauidatam

fratres

fratres strictis ensibus sunt adorti, fuga elapsa, inops ad Bernardinum, hominem adlegat de periculo & subsidio acturum, spondet Pater infelici preces, vetátque in posterum quicquam ab vllo metuere; neque verò deinceps quisquam illi fratrum, aliorúmuè molestus extitit.

Vincentia de Sylua vxor Regij Præsidis, post viginti circiter annorum steriles nuptias; Francisca Albrissia Dux Barretensis; Isabella Tolfa Marchioni Capursio nupta, & Ioanna Pappacoda dicti Marchionis filia, Bernardini precibus optata diu prole potitæ sunt.

Marius quidam magnæ indolis adolescens Societatem expetebat in qua duos habebat fratres; horum alter diuturnâ Marij repulsâ nihil diffidens Bernardino illum per literas commendauit egitque denuò cum Prouinciæ Præposito vt eum admitteret, à quo statim absque vlla morâ vel deliberatione Societati, & tyrocinio est adscriptus, quam viri prudentis mutationem repentinam nemo fuit, quin Bernardini votis assignaret. Omitto complures, quos patet ex magnis bonorum, capitis, dignitatis, officiorum periculis eius apud Deum eximia gratia & precatione liberatos.

***

CAPVT XLVIII.

Multa ſuo conſpectu, affatu, attactu, aditu mirabiliter patrat.

LAuram Spinetæ Venturæ coniugem bienni amentia detentam affines Polignanum non procul Bario duxerunt rati arreptitiam eam eſſe, atque ab S. Vito expulſum iri ex ea dæmonem; verùm exploratâ eius ſtultitiâ inde Lupios reducunt, ſpe quidem haud vana ſanitatis per Bernardinum obtinendæ, nam ex quo in conſpectum venit, exinde capite ſano vſa, animi noxas apud illum depoſuit, nec vllum præterea toto vitæ decurſu emoti animi argumentum dedit.

Roſa Troiana apud Cicalam Baronem famula, ſeu energumena, ſiue ſtulta, cum audiri ex confeſſione ab vno è Patribus non poſſet, venit poſtea in Collegium, concurrente captanteque ex ea nouitatem plebeculâ, petiit Patrem Bernardinum, ad cuius præſentis ſtatim ſe genua abiecit, auditaque pro confeſſione, ac ſalubri alloquio inſtructa, nec maligni hoſtis, nec ſtultitiæ occupantis vllum deinceps veſtigium retinuit.

Hydruntino in tractu, & Comitatu Palmiregienſi mulier honeſto loco nata in eam amentiam incidit, vt magno rubore agnatos ſuffunderet, adeo probroſis, & peregrinis inſaniebat modis; adductam ad ſe Bernardinus vt intuitus eſt, ipſaque illius admonitu in genua cecidit, menti ſanitas

nitas confestim reluxit, expiatáque apud illum conscientia, domum læta, & valens cum lætis affinibus se recepit.

Pacifica Tauria tertij ordinis Carmelitanorum, ex diuulsione lateris sextum iam diem spasmis fracta, & incuruum corpus ægerrimè trahens ad Bernardinum adiit, negauit Bernardinus diuturnum id fore, ad quæ verba mulier se erigit, difflatóque omni cruciatu, domesticis, quibus inuitis domo exiuerat, se probè valentem exhibuit.

Petrus Gamboa ætate ac viribus confectus è sacro suggestu per Quadragesimam Lupiis dicebat, cumque se interdum ita probaret imbecillum, vt conscendere pulpitum non auderet, Bernardini congressu sic roborabatur, vt viuax ad populum prodiret, instarque iuuenis concionaretur.

Catharina Marinaccia dextro crure octauum iam mensem, magnis cum incommodis obstricta, lignum sanctum (quod illi post multa incassum tentata, propinabatur à Medicis) reiecit, aiens peius esse morbo remedium, & malè audire apud castos; maluit igitur à Bernardino leuamen, cui Pater post confessionem id petenti, respondit breui adfuturum, vrgentique vt partem vitiatam cruce saltem signaret, aut tangeret, negauit quidquam eiusmodi necessarium videri, per se enim malum breui desiturum, sub hæc è genibus in pedes assurgit, comperitque se solo tantùm Patris colloquio, & præsentiâ consanatam. Quod ipsum Olympiæ Tanesiæ in morbo non absimili euenit.

Dominico Voræ concinnatori pellium cum

periculo decumbenti faciem attigit Bernardinus, vbi confitentem audiuisset, solatusque est valetudinis expectatione, eo tactu refocillatus æger, biduò post lecto exiliit.

P. Petrus Aloysius è Societate asseruit se molestissimo sæpiùs, Bernardini manu, aurium morbo absolutum.

Horatio Guidinano Equiti Melitensi animam acturo succurrit scrupulus cui eximēdo cum Bernardinum acciuisset. Iacentis capiti manum imposuit, recitatisque precatiunculis mitte scrupulum, inquit, nam illum per otium simul in Collegio exememus; eo manus contactu leuatum, die insequenti, quo moriturum decernebant, expertem febris Medici viderunt, paulò post Patrem de scrupulo interrogaturus in Collegium conuenit.

Lucretiæ Petrazzollæ dextrum cum humero brachium efferati humoris fluxio contraxerat, & quatuordecim diebus acerbissimè torquebat; huic post irritum Medicorum laborem subiit, vnum sibi conspectum Bernardini fore ad remedium efficacem; Lupios ergo in patriam Neapoli reuecta, Patris optimi dextram ægrâ manu ad osculum prehendens, membris iam ferè mensem emortuis, nouum sensit affundi spiritum, dolorem absistere, & alacritatem natiuam reflorescere.

Octauius Paternellus faber murarius multos annos confessario vsus Bernardino, ex suppressa vrina paucas intra horas (ita Medici pronuntiauerant) moriturus eum acciuerat, qui ad tristem illorum sententiam ægroto manum blandè, ac beneuolè admouens, negauit suum Octauium eo morbo è viuis discessurum, quin imò quantocyus

edixit

edixit perſanandum, atque illa nocte, nullis remediis laxato largiter naturæ officio, & ſomno placidiſſimo recreatus, triduo inde calculum eiecit grandiore oliua non multò minorem, Lucretiam Recuperiam humorum fluxio intercluſo pede, bimeſtri iam ſpatio tenebat immobilem, nec malum ſanabile credebatur, rogauit Patrem Bernardinum ſibi aures confitenti præberet, pedémque tumidum tangeret; afflictæ morem Patris charitas geſſit, tactúque illo valetudinem inſtaurauit. At verò Monialis quædam B. Dominici Tertiana longè deterius affecta humique affixa, pede vlceribus, & carcinomatis exeſo eumdem vocauit, ad animi partim conſolationem, partim etiam expiationem, huius miſertus Pater, poſito pallio, ad ſedentis pedem in genua ſtratus, faſciis illum tabo fluentibus, & purulentis malagmatis euoluit, contactúque illo ærumnoſam repentè ſanauit, monens (quod maximo omnium ſtupore præſtitit) die poſterâ in Templum Collegij veniret confeſſionem illic obitura.

Vincentium Bozzium Lupiis nobilem eruptio ſanguinis eliſo ſpiritu præfocabat, Bernardinus inuiſens complexu ſolo diſcrimine exemit, eluuione ſanguinis è veſtigio compreſsâ viribuſque vnà innouatis.

Annibal Mercurius Sacerdos, Maioris Eccleſiæ canonicus animam agebat, Bernardinus magnâ teneritudine hominem complexus & exoſculatus vtpotè Sodalem Congregationis cui præerat, ſecurum vitæ fecit, vnde breui perpulchrè valuit; narrabat autem Virum Dei eo ſibi oſculo fragrantiam quandam Sanctimoniæ inhalaſſe,

odorem

odoremque insolitum, quo statim reuixisset.

Marci Aurelij Bonuicinæ commendabatur anima solenni ritu velut è corpore profectura; Adiens illum Bernardinus manumque admouens, æquo animo esset, hortatus est, illo enim casu haudquaquam periturum, cœpit exinde Marcus multò melius habere, nec diu postea etiam optimè.

CAPVT XLIX.

Imaginibus, Coronis precatoriis, literis, scriptisque Bernardini, &c. multa Deus mirabiliter patrat.

LÆliam Sanseuerinam Briatici Comitem supremum visura Vrbinatis Ducis adiuit soror Isabella, tulique tabulam Bernardini, recens Lupiis acceptam; Agnouit Lælia etsi moribunda Bernardini vultum, quem olim Neapoli diu à confessionibus habuerat, ac religiosè tabulam osculata, planè confestim sanata est.

P. Alfonsus Parisius è Societate, morbo correptus vehementi, Grimaldo in Calabria Consentiam lecticâ vectus est. At is imaginem Bernardini in cubiculo conspicatus, citam per eum aut valetudinem, aut mortem petiit, ne illi Collegio grauis foret; moxque se immunem ab eo morbo obstupuit.

Horatio Verdutio Lupiis cognitori sæua quædam tempestas incubuit, sed vocato in opem

Bernar

Bernardino, cuius domi colebat imaginem visa est imago tabellâ immotâ ad eum accedere illique comiter officia beneuolentiæ exhibere, paulò verò post optato præsidio saluus viro sancto id acceptum tulit.

Lucretiæ Petrazzolæ imminens iecori abscessus malignam febrim consciuerat, ac multitudine medicorum irritis artibus defuncta, sacris ad mortem se comparauerat, verùm vt sancto oleo est inuncta, succurrit deprecatoriis globulis Bernardini, eos sibi curat admoueri, atque intra quartam horæ partem, apostemate disrupto, putridi sanguinis ingentem copiam ore fundit, tetro illo leuata pondere, febrim pariter excutit, ac post triduum sana lecto surgit: diebus exinde quadraginta, dolore identidem recurrente, eiusdem attactu coronæ illum depellere assueuit.

Ioannem Antonium Thomasium, soror Maximilla iam morti proximum Bernardino commendans, coronam ab eo accepit, iussa illam ad ægrotum deferre, de cætero nihil metuere; munus piè ægrotus excepit, ac tribus medicis miraculum deprædicantibus, repente conualuit. Idemque beneficium Marcella Græcia consecuta est, cùm ad eam in partu, quarto iam die laborantem coniux Perrinus coronam attulisset à Bernardino mutuò concessam, mox enim feliciter peperit. Idem Portia Armilij Lucensis vxor post mensium quinque insomniam stoliditate, cruciatu, ac deformatione totius corporis propemodum perdita, coronam si quidem à Bernardino impetratam cum familiares collo iniecissent, triduanum illi conciliarunt somnum & plenam ex eo sanitatem.

Annæ

Annæ Mazziniæ anguſtiis pectoris moleſtè anhelanti, præſenti ac ſtabili remedio fuerunt tres è Bernardini corona globuli. Angelam Caretam vxorem Ioannis Andreæ de Leone (poſteà Baronis Vazienſis) vel mortuam vel pro mortua creditam (nam æris campani funebri ſono defleta eſt) Bernardini Corona ab ſocru allata ſubitò exciuit.

Bellizarium Aquauiuam Nardenſem Ducem, in itinere fulmine afflatum, & examinatum, ſui carro in vrbem reuexerunt; illic ſacris omnibus munitus dum mortem expectat, quam inſtare medici prædicebant, ab vxore per nuncium Bernardini curæ committitur; reſcripſit Pater valetudine redonandum, eoque reſponſo Nardum totam magnâ lætitia impleuit; ibat nihilominus in peius malum, nec in Duce quidquam, niſi funeſtum medici notabant, donec aliquando oſtenſam ab vxore Bernardini epiſtolam pectori apprimens eodem momento prorſus morbo exiuit. Aliàs quoque peſſimè à morbo habitus, rogauit Patrem per literas de ſanitate ſibi obtinendâ; quam cum redituram reſpondiſſet, eius epiſtolâ piè ceruicali impoſitâ, mox febrim depulit ſomnum cepit, biduò ſanus exiliit.

Antonius Mareſcallus Beneuentani Rector Collegij totos octo dies quietis impos exegerat, malo interea ad mortem vergente; is in Patris cuiuſdam manibus Bernardini literas cum vidiſſet, cupidè popoſcit, ac ceruicali piè ſuppoſuit; nullum æquè papauer profuiſſet; quinque horas nocte illa dormiuit, poſtridie febris expers fuit.

Fauſtinam

Faustinam Garianam stomachi dolores cum febri sæuissima quadraginta horis eò redegerant, vt sacro instrueretur viatico, & testamentum festina conderet; appressæ stomacho Bernardini manu conscriptæ literæ, illam è vestigio persanarunt: ex eo tempore quicquid sibi grauius incidisset *Pater* & *Aue* septies repetitis, aiebat se per Dei seruum quidlibet adipisci.

Helena Stephania nobilis Neapolitana apoplectico stupore ita quatriduo emortua, vt ne signis quidem animi pœnitentis, Sacramentum poscere valeret, subiectâ ceruicali Bernardini epistolâ, in se illicò rediit, deinceps verò in valetudinem pristinam.

Ioannes Baptista Stephani, Barij Iudex, febri, & profluuio sanguinis correptus, repudiatis pharmacis medicorum, eidem remedio sanitatem debere voluit, acceptas pridie Virginis Assumptæ, literas Bernardini, capiti subiecit, quibus tranquillam assecutus noctem postridie vegetus in Templo adfuit.

Angelam Caputiam septimestrem puellam febris continua diseнteriæ adiuncta, in vitæ discrimen propellebant; Baroni Forouignensi eius patri auxilium filiæ roganti rescripsit Bernardinus, minimè verò morituram, sed fore in terris, deinde in cœlo Angelam; Quas literas, puellæ parens cùm imposuisset, somnum ea resumpsit, quo nouem diebus caruerat, tùm valens è somno rediit; Monialis demùm Sancti Ioannis Parthenone se Neapoli inclusit. Longum est censere quàm multos feliciter eadem curarit medicina.

Philippum Spinellum Cardinalem quem genu

nu pessimè affectum aut fore mutilum docebant medici, aut breui obiturum; Mariam Ortisiam Carpignanēsem Ducem atroci capitis dolore laceratam; Antoniam Piceuam Lupiensem Neapoli febrientem; Beatricem Tolfiam Ducem Quardiensem à partu vitæ ancipitem; Cognitorem Hydrunti regium, nomine Barbutum latere dolentem; Ioannem Thomam Mastrillium nobilem Nolanum podagra cruciatum; nec omittendum est Ludouicum Nicuesam insueto ex cælo vehementi Lipothimia laborantem Bernardini epistola sanatum; duos eius viæ, morbique comites, sed eo remedio non vsos periisse.

Iulia Philomarina Marchio Ioyosea nullum vlceribus capitis reperiens pharmacum, illigatis sub noctem capiti, literis Bernardini, mane integrum, sanumque reperit, ac febricitantem filiolum vidit eadem arte confestim valentem. Bisignanensis verò Princeps Margarita Aragonia, ex carcinode genui adnato, de familiaribus feminam, eádem sanauit pietate. Eâdem ab se P. Mirabellius è Societate tormenta podagræ sæpiùs dispulit; Eâdem & feram tempestatem qua ex Calabria Neapolim rediens coactus fuerat Zopini subsistere; nam præmissis cum socio precibus, & exteriori diuersorij fenestræ affixa Bernardini schedâ, reuecta serenitas repetendi itineris copiam præbuit. Cognitor Hydruntinus cognomento Buccinator, viscerum torminibus distractus, applicitum sibi eiusmodi remedium statim expertus est salutare.

Hieronymum Melendinum adiutorem è Societate, ex febri à medicis iam morti addictum,

scripto

ſcripto monuit Bernardinus nequaquam morbum lethalem futurum, quo æger acepto ſchedio, medicorum ſententiam mutauit, & ab iis extra periculum credi cœpit. Hippolytam Caracciolam ſæuus pectoris dolor cum diu noctuque interdiceret illi ſomno, maritus adhibitâ ſimili ſchedulâ, in altiſſimum egit ſomnum, quo morbus omnis confectus eſt.

Iſabella Argentia nobilis Cāpana diris ex diſtorſione pedis conuulſionibus agitata, dolorem omnem adhibito pedi eodem remedio diſcuſſit.

Theophilo Zimaræ febri & inſomniâ exhauſto vicinā mortem medici occinebant, niſi proxima nocte leuaretur; Bernardinus contra vbi operam dedit confitenti, prædixit euaſurum; cum tamen noctu quies illum de more fugeret, ſedem lecto iuſſit appelli propius in qua Bernardinus conſederat, eiuſque pileolum in ea ſtatui, exertum deinde extra lectulum caput, ſupra eamdem componens ſedem ad lucem dormiuit, quo tempore medici ſecurum periculi fecerunt. Angelus Minicampius Collegij noſtri ædituus in adornandis Altaribus apoplexiâ ictus veluti in lectum elatus eſt; adfuit ad concurrentium ſtrepitum Bernardinus, & longiorem ex panno quam gerebat ſub veſte produxit zonam, aiens illâ eſſe præcingendum; ſic enim futurum vt recaleſceret, quâ medicinâ tunc reſtitutus eſt, nec quicquam tale præterea paſſus. Portia Beltrammia Beneuentana ægrotis variis Bernardini zona quam penes ſe habebat, ſaluti fuit, ac viro imprimis Petro Antonio Maſtrillo, quem vua naribus increſcens non ſinebat halitum ducere, zonæ ſiquidem attactus

id carnis tuberculum discussit. Religiosum hominem interaneorum diuulsione cœca laniatum; Franciscum Antonium infantem horas septem profusione sanguinis pereuntem; Isabellam Acajam in crudo laterum dolore, per dies duodecim frustrà præsidia omnia tentantem; Diodoram Selanam Neapoli ischiade implexam eiusque nurum. Isabellam Carrassam Marchionem Petrellensem in longa sudantem, ac difficili partione, eiusdem zonæ efficacitas absoluit: Fabritius Lanarius Dux Carpignanẽsis Sacramẽtis omnibus ad mortem instructus & iam toto corpore frigidus, iniectâ manibus Bernardini zonâ se recepit, breuique post mali reliquias penitus excussit. Hieronymum Panneteram vitæ ancipitem; Donatum Antonium Rossium, totos quindecim dies capite grauiter vexatum; Iosephum Matthiam infantulum à medicis depositum idem remedium è vestigio sanauit.

Tobiam verò Apontium cum asthma pertinax fatigaret post vitæ omnis expiationem Bernardinum rogauit vt eo se malo liberaret, respondit Pater Deo aliter visum neque illa vnquam liberatum iri molestiâ, quoties tamen acrius vrgeret, eam collo insertâ Bernardini zona plurimum temperabat. Et Catharina Rosa omnem aliam opem doloribus capitis inanem edocta, hac vnà vtebatur, vt quoties ij recurrerent zona illa eos retunderet. Petronilla Recuperia; Anna Scisica, & aliæ summum partus discrimen eâdem incolumes euasere.

Donata Pozzia cum semestrem vterum gereret, fallente vestigio per scalas collapsa magnos nouem

nem diebus dolores pertulit & exſpes vitæ eſt iudicata, ſed eam calceus Bernardini cruciatibus & periculo, eripuit, vt enim cuique admouebatur parti, ita ex ea abſcedebat dolor, donec toto corpore abiiſſet.

Alexandro Stromeo pedem carcinoma abſumebat, nec poſſe curari niſi ferro medici cenſebant, pridie igitur quam id expedirent vni è noſtris confeſſus eſt, cuius ſocius calceum Bernardini, cui pedem insereret huic dedit, eoque mali vis adeo fracta eſt vt medici miraculum dixerint, & ferramentis abſtiterint, paucis verò diebus æger pedibus ſanis inſtiterit.

Franciſcam Antoniam geminorum octauò menſe puerperam maritus deſperabat, ſed eiuſdem remedij ope, inſomnia primum & tormenta quæ ſuſtinebat grauiſſima poſt febris etiam euanuit.

Lucia Sicula, crebro capitis morbo obnoxia, Patrem adire conſuerat pro confeſſionibus ſedentem, & cum eius veſtes nihil tale aduertentis contrectaſſet, manus capiti applicare eratque hæc illi perpetuò certa doloris depulſio.

Cæſarem Antonſellum è Societate qua nocte Lupios aduenit atrox carnificina laniabat intercepti nimirum medio vretere calculi, manè audito medici acceſſu ad Deum conuerſus ardenter orauit, ne alterius medici, quam Bernardini illic habitantis operâ curaretur: audiuit Chriſtus ſerui ſui nomen & procul dolore ægrotus calculum extruſit, quem videns medicus negauit in hunc modum abſque patenti miraculo excerni potuiſſe.

Lauriæ Tauriæ pauperculæ feminæ magnum olei pondus vitiũ duxerat, quod ſorori flens cum enunciaret, illa ex capillo Bernardini tantillum oleo iniecit, IESV & Mariæ nomine inuocato; quod piaculum tàm validum fuit, itáque oleum purgauit, vt optatum ex eo pretium tulerit.

Iulius Cæſar Albertinus lethalem plagam Nolæ acceperat, thoracem enim ſubibat altius, & die decimo tertio duxerat cicatricem, conclusâ intus cum virulentis humoribus cita morte, nec vulnus putabant medici poſſe ſat tutò aperire ne in curatione æger deficeret, at familiares admonitum à Bernardino auxilium quærere, pauxillum ex eius capillis clauſo vulneri alligant, quibus ſub veſperum; apertum vulnus apparuit, & coactâ diu ſanie perpurgatum, quod vnus ex medicis admirans, palàm genu flexo, humumque oſculo allambens, veneratus eſt Dei ſeruum inſanabilis plagæ potentem medicum.

Franciſcus Antonius Clodinius Lizzanenſis Ducis filius natu primus maligna ex febri ſenſu omni iam carens ſacro oleo vnctus eſt, nullo per triduũ vitæ indicio præter leuem arteriæ motum; Ergo anima Deo ex ritu commendata; curari omnia ad lauandum; componendumque corpus; quæ dum feſtinantur, moribundo Sacerdos è Societate Bernardini pileolum imponit, cuius ille attactu mox oculos aperit; mox per ſe aſſurgens reſidet, mox cibum poſcit, & reſtituitur, hærente dumtaxat ſiniſtro brachio conuulſione quadam, ſed hanc poſt biduum, vbi ſe didicit Bernardini reliquiis ex morte retractum iiſdem applicitis planè ſuperauit.

Ioannes Dominicus Guarinus ſacris myſteriis ad mortem comparatus iamdiù cum ea luctabatur, ad eum Hyppolyta Bonoria in Beati Ioannis Sanctimonialis Bernardini miſit induſium, quod ægroto ſoror cum inieciſſet, ſomnum peperit adeò ſalutarem, vt excitatus cibum requireret, reductiſque medicis in tuto eſſe non abs re crederetur, nam triduò poſt perbellè valuit. Quo item antidoto Margarita Gallonia in dicti Cœnobij alumna, cum iam vt mortua lugeretur ſanata eſt, illo enim veſtita induſio ſtatim obdormiſcens, poſt ſomnum cibo eſt refecta, maneque à medicis abſque vllo febris indicio comperta.

Portiæ Venturæ armento præerat Vitus quidam, is coniugem audiens capite emotam præcipitia quærere in patriam redit, cui Portia miraculi memor in caſu ſimili patrati, reliquias aliquot viri Dei miſit, iis ille vxori adhibitis, ſanitatem mentis ei redonauit.

Fuit quadam in vrbe inter Ciſalpinos femina ſub virginitatis voto pridém religiosè Deo inſeruiens, huic in vehementes ſenſuum inſultus, cum nulla vel precum vel afflictationum præſidia, vel reliquiarum ſufficerent, datum eſt à Patre cui confitebatur pauxillum ex induſio Bernardini, tacito quidem illius nomine, verùm ſpondente fore vt ab ſancto cuius eſſent reliquiæ iuuaretur; At hæc talia incaſſum experta, non multum inde concepit fiduciæ, poſt tamen ad ſacram accedens menſam, & rata has eſſe Sancti Ignatij reliquias, tentauit ab eo ſuis ærumnis opem acerſere, volenſque in preces Sanctam Ignatium

vocare, inuita, & nolens Sanctum Bernardinum sæpius iterauit & Sancte Bernardine, inquit, pro me Deum precare. Demùm aduertens quid diceret, suspecta sibimet de amentia esse; Quid enim aiebat, quid nunc mihi cum Sancto Bernardino, quem nunquam hactenus cogitaui, nunc autem efferre aliud non queo, conataque rursus Sanctum Ignatium appellare, pro illo coacta est Sanctum Bernardinum Carpensem nominare, tùm verò nihil iam addubitans se de animi statu deturbatam quo licet reluctante Bernardinum Carpensem diceret cum præter Sinensem alium nesciret, conturbata, gemens & anxia sacrum Christi corpus nihilominus suscepit, indéque magna hominis vtriusque serenitate gaudés, redit biduo post ad Confessarium, vt de sancti nomine resciret cuius beneficium celebrabat, narratáque omni eius accepti historiâ didicit esse Carpensem Bernardinum, apud Lupienses & Neapoli vita nuper & gestis clarum.

Pater Franciscus Ceuola de Societate ad quadriennem dextro in oculo fistulam, putauit auditâ serui Dei morte, ac mirabilibus, supremum hinc sibi præsidium adfore, admoto igitur ex eius interulâ segmento repente ex oculis emplastrum concidit, exaruit fistula, nec vnquam præterea rediit.

Ibidem verò, nimirum Barij, Beatricem Pintam cum transuersus fœtus discerperet, idem Frãciscus vt vitæ ancipitem pro confessione audiit, eiúsque dolorum misertus ex iisdem reliquiis particulam tradidit, quâ susceptâ, fœtus dolore procul, & adminiculo obstetricis, vel alterius

erupit,

erupit, ſuperſtite autem graui capitis cruciatu, admotis reliquiis, vt inhibebatur, ita remotis ſæuiebat, iis ergo capiti alligatis, denique eſt omnino debellatus.

Parmæ Virgines ſacræ Vrſulinæ moleſtiſſimo negotio anxiæ, de quo Viri potentes duo contra ipſas certò decreuerant; ex argento cor duplex Bernardini tabulæ ſuſpenderunt, vt eorum Virorum Deus corda mulceret; exinc eius rei mentionem cum nemo faceret, ſilentio quoque viri illi prætereundum cenſuerunt; Seruant eædem ex Viri Dei corpore fruſtulum, quod aquæ immerſum illam facit piam malorum complurium medicinam.

Monopoli Iulia Tabellionis vxor imagunculam Bernardini ab Societatis Sacerdote Franciſco Guerrerio accepit, in partione quam breui expectabat vſui futuram; hanc illa parieti magis quam animo affigens cum parturiendo torqueretur, ſublatis fortè oculis adſpexit, &, ô Pater, inquit Bernardine non opitularis, vti Confeſſarius abs te mihi ſpoponderat? cui in imagine, capitis nutu, facturum ſignificans, partum vnà facilem, citumque conceſſit.

Alexandro Matteio Comiti Palmiregienſi lateris dolor, remediis ingraueſcens Bernardini reliquiis ocyſſimè abſtitit, & in cognitione litis ad eum inter ſuperos adſcribendum leguntur fœminæ quarum deſperabatur vita, in eâ ſede feliciter peperiſſe, ex quâ vir Dei ſenio confectus ſacro adeſſe conſuerat.

Santa Bleſcia Beati Dominici Tertiana Bernardini ſepulchrum oſculis adorans, grauiſſimos

quibus diuellebatur momento eodem fugauit cruciatus.

Felicitas item Gigantia ob incisas solito grauius papillas dare lac filio nequibat, omissis tamen quæ medici porrigebant, vno seipsa oleo prosperè curauit, quod ante tumulum serui Dei ardebat. Eodem Marcellus Calillus eius coniux stomachi dolores repentè abegit, quibus cum vitæ periculo alterum iam mensem decertabat. Eodem, interaneorum, & capitis cruciatus Iustina Saetta Sancti Francisci Tertiana pari celeritate vicit. Iosephum Velamum ex procidentiâ viscerum nullis artibus cedente à Medico damnatum eodem pharmaco Matertera liniuit, ac videre in somnis visa est candelam manu præferentem iubentemque iam sanum fratris filium visere; quibus monitis euigilans, accurrit, quærit ex ægroto ecquidnam valeat. Benè, inquit, habere videor, & valde commodè. Medicus verò statum morbi explorans, vidit quod antè prociderat suo redditum loco, & obtorta prius quasi voluulo intestina (vnde fæculentus prodibat vomitus) emendata, totâ ægrotum valetudine potientem.

Sed exiturus sim in immensum si proferre
singulos lubeat quibus ex lipsanis
Bernardini aliquid inditum,
sanitatem amissam
instaurauit, sit
ergo

CAPVT.

CAPVT L.

Inuocatione Bernardini multa cælitus concessa.

IOſephus Aſtolfi Rilliani, & Vincentiæ Moſciæ filius menſium ſenum infantulus, poſt inflationem totius corporis diſſipatam, nouemdiali febri tandem interiit, reuerſus Domum pater qui tunc abfuerat, luctum familiæ integrauit, atque vt erat Lupiis peregrinus, occluſis foribus vitauit conſolationis officia, iuſſitque puero funebria candida ex ſerico emi, corpuſculum mater in cunis compoſuit, & triſti miniſterio perfuncta, tota illa die orbitatem ſuam cum domeſticis defleuit; obtineri autem non potuit, quin aliqui Ciuium adeſſent, hoſpitum mœrorem dolendo leuaturi. At ſub primam noctem mater cum filiis duabus lamenta renouans, filioli corpus exanime inter brachia tollere, ſuauiari amaris oculis, complexu ſtringere, perfundere lacrymis, inter quæ memoriâ Bernardini mentem ſubeunte multorum erga ſe conſciam beneficiorum; Quid verò adeò magnum foret, inquit ruptâ cum gemitu voce, ſi poſt tot mira tua, ô Pater, hoc etiam mihi indulgeres toto quàm vaſtus eſt orbe prædicandum, & hanc meam lucem filiolum meum ſuſcitares: Annue Pater infelici, & hoc per Chriſti ſupplicia obſecranti; hæc & ſimilia cum amor dolori ſuggereret, miratur di-

ducta infantis labia, velut vberi aptata, mammam præbet, videtque sani de more lac sugere, ac sublatâ voce Bernardini miraculum proclamat, aduolat parens, familia confluit, summus omnium stupor ad improuisum spectaculum viuentis infantuli, vegeti, ac valentis, qui multas horas rigidus, mortuus, inferendus sepulchro iacuerat. Postridie seruus cui cura funeris cum venisset, rei quam præ oculis habebat magnitudine admirans, cum septem aliis pro testimonio illam iuratus confirmauit.

Virginiæ Zeciæ ad B. Claram Lupiis Moniali orta intra narem sinistram caruncula, somnum & spiritum multo cum dolore inhibebat, post tres menses remediis irritis insumptos Bernardini subsidium aduocauit vt sibi à Virgine Dei Matre, quod ex hominibus frustra quæsierat, impetraret: adstitit in somnis Bernardinus tribus consequenter noctibus, quibus singulis cruce nares illius signans, affirmabat sanitatem ab se, imò à Dei Matre illi restitui; ex priore somno cum euigilasset, suauissimo odore perflari cubiculum sensit, qui quatriduum deinceps tenuit, tertium verò è somnis excitata carunculam è naso iam pendulam, ac prope deciduam nullo negotio detraxit.

Syluestrum Pasolium ex Minoribus de obseruantia soror Ioannella Pasolia Monialis ægrotantem Bernardino coram eius effigie commendauit, deinc illi noctu se spectabilem præbenti, ecquid fratrem meum sanaturus es Pater? Bernardinus verò facturum respondit, compositisque euentibus animaduersum est in extremis positum Syluestrium.

ſtrum eodem momento commodius habuiſſe, ac poſt integrè valuiſſe; Ipſa verò Ioannella ſubortum aliàs in oculo morbum Bernardini appellatione repentè fugauit.

Dominicum Duceum horrenda inflatio ad vſque vmbilicum à pedibus crudeliſſimè diſtendebat; nocte quadam ad Bernardinum verſus ſupplicauit eo ſe tormento liberaret, quod iam poſt trimeſtre ſibi fiebat intolerabile; vix finem orandi fecerat, cum inflatio & dolor hominem penitus dimiſere. Ioſephum Georgij puerulum inter edendum hærens oſſiculus præfocabat; & parens Franciſcus Antonius dum eum inſerto digito molitur, altius protrudens periculum auxerat, quod, cum morti proximum cerneret inuocatione Bernardini illicò diſcuſſit, oſſiculo foras abſque adminiculo, prodeunte. Portiam Venturam cum diſtraheret crudelis iſchias, Ades, inquit, ô Pater, cruciatibus ſuccumbenti, ac ſi intra ſextam feriã ceſſabũt, id tibi acceptum prędicabo; Mirum dictu, creuere ad ſextam feriam cruciatus, eâdem ſubito deſiere. Ioannes Baptiſta Cæſura Aquileiæ ſat notus, quædam Bernardini ſcripturus geſta, illum inuocauit, ſumptoque in manum calamo, ſenſit manu quadam non adſpectabili ſe tangi ſuſpicatuſque ſe à Patre ſanari, herniam comperit, quâ grauiſſimâ laborabat, nullo ſui veſtigio abſtitiſſe. Mariam Donatam Occhibiancam comitialis morbus cum ter quotidie allideret, etiam in Templo aliquando, grandi matris mœrore alliſit, Bernardini ſepulchro mater aduoluta obtinuit ne plus quartâ tunc horæ parte filia teneretur, nunquam verò corriperetur in poſterum.

sterum. Camillus Morellius diù iam dentibus pessimè laborans postulato Bernardini auxilio, dolere actutum desiit. Marius verò Lucera Hydruntinus ita pedibus affectus, vt medici non sanabilem iudicarent, egregiè sanum se manè miratus est, cum Bernardino pro valetudine sub noctem supplicasset.

Felicitas Gigantia ex abortu miserè cruciata, promissione argenteæ tabulæ viri Dei sepulchro affigendæ, cruciatum omnem subitò dissoluit. Antoniam Pezzetiam elato iam viro, eodem festinantem cum febri eadem teneretur, filiæ duæ serui Dei nomen sacra synaxi veneratæ in viuis seruarunt. Ioannes Baptista Sabbatius è Societate, torminibus viscerum ad extrema redactus, (ita medico videbatur) imploratione Bernardini, ea dissipauit. Iosephus Matthiæ Neapoli editissimis ex scalis, & arrectis præceps, vocato Bernardino, lapsu innoxio corruit. Dianam Ferrariã interdiù acerbè tibia vexabat, noctu quietam agere sinebat. At hæc, Pater Beate Bernardine, muta obsecro, mali vices & noctu sanè inutilem affligat, interdiù liberam permittat heræ Comiti operam nauare (erat ea Comes Altæuillæ,) impetratum ocyus quod petebat, nam inde noctes habuit infestas, dies commodos, & morbis expertes.

Laurentius Garettius de Societate ad Philippinas Insulas è prouincia Veneta profectus, Hispali ægrotauit, & Christi nascentis sacro die iussus est ad mortem intra paucas horas se se accingere, verùm postridie planè sanus, ac valens repertus est, interrogatúsque cuius ope certam perniciem euasisset, respondit se ex quo decumbebat

bebat sæpe Bernardinum in preces vocasse, qui famâ illustri sanctitatis in Italia nuper obiisset.

Minerua Marascia, puella circiter trimula copiosa distillatione sesquiannum cæca ex admotis à matre post alia omnia Bernardini reliquiis haud tamen illuminata est; sed confidens mater, quod exeunte Iunio negabatur, concessum iri Iulio ineunte, quod postridie Kal. Iulias celebraretur memoria Bernardini, eum diem cupidè expectabat, præuertit Dei seruus hæc fœminæ vota; Kalendis Iuliis cum festo æris sono vespertinarum precum Beatissimæ Virginis, & festæ, diei sequentis; lætitiæ daretur signum apertis subitò luminibus puella: En, inquit, me Patris Bernardini beneficio sanam, & probè videntem; concurritur ad magnitudinem tam noui muneris, inspiciuntur oculi, apparentque puri, ac nitentes absque vlla veteris mali notâ; mox nigris in Bernardini honorem induitur, deductáque ad eius sepulchrum oculorum par, vnum argenteum, aureum alterum pro anathemate appendit.

CAPVT LI.

Vota Bernardino, optato successu nuncupata.

ADriana Pozzia quinquennium totum sæuis vteri malis fatiscente, vouit soror Donata Bernardino argenteam tabulam, si decimum intra diem cessarent; Interim Medicus noua quædam

(nam

(nam multa pridem tentata fuerant) suggessit, sed lenta, longáque auxilia, cum ecce tibi miratur nono die Adrianam penitus liberam, ac voto sororis placidè fruentem.


Antonius Annæus capitis accusatus quantumuis innocens grauiter periclitabatur, mater argenteam illius Bernardino imaginem vouit, detectáque mox innocentia iuuenis insons pronuntiatus est. Federico Verardio natus Lupiis filius Hieronymus est dictus, hunc præter alia in cunis hernia dirupit, fœdarunt strumæ, retorta in ventrem crura deformarunt, vt monstrum magis, quā homo videretur, & dicerent Medici, aut fore perpetuo membris captum, aut minimè vitalem; hic pater cum multis lacrymis ad Bernardini tumulum proiectus argenteum obtulit anathema, si valetudinem filio exoraret, en autem domum redeunti venitur obuiam, nunciatur herniam iam coaluisse, difflatas strumas, & correcta crura, nihilque infanti de tot morbis restare; regreditur itaque lætitiæ impar in Templum Pater magnificas Deo eiusque famulo gratias acturus.

Franciscæ Antoniæ Gustapanæ ad molestissima incommoda id etiam accessit, vt exesum palatum foramine pateret, nec absque discrimine suffocationis inferre stomacho cibum posset; huic post votum Viro Dei factum caro ocyus innascens foramen obstruxit.

Marcus Aurelius Perrinus Lupiensis scrupulis in furorem actus, sextum iam mensem vinctus habebatur; Mater filij Tabulam Bernardini sepulchro spondens, sanam illi mentem incredibili omnium gaudio, & admiratione impetrauit.

Onufrio

Onufrio Calellio decem mensium infanti angina spiritum elidebat, eam à chirurgo bis frustra incisam Matris felicior pietas apud Dei seruum se voto obligans protinus dissipauit. Hyppolyta verò Cina pleuritidem ex qua imminens cernebat exitiũ, adhibitis sibi cum voto Bernardini reliquiis, pari festinatione ab sese abegit. Sed hæc de multis iniquo spatio exclusis hactenus, opinor sufficient, ad alliciendos piorum animos imitatione ac æstimatione Bernardini per quem laudetur, ameturque tot magnificus bonorum ac mirabilium author Deus, quæ si numero suo lectori tædium faciant, cogitet quæso quanti sint singula, quantisque lætitiis ab iis excepta in quorum gratiam & leuamen ab optimo domino, & magnificentissimo sunt concessa.



FINIS.